DE
SOCIETATE CHALCIDICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO HAUPT

REGIOMONT. N. M.

ADVERSARII ERUNT:

F. KUPFER, PHIL. CAND.

E. BORN, PHIL. CAND.

F. WIGGER, PHIL. STUD.

BEROLINI

TYPIS CUSTAVI SCHADE.

PATRI DILECTISSIMO

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM.

Excisa Methone Macedonica sive Thrac. [1]) in Thessaliam invasit Philippus Ol. CVI. 4, aut, ut probabile est sub finem Ol. CVI. 3 Thessalis contra Lycophronem et Onomarchum opem ferens; et initio quidem ab Onomarcho Phocensium duce Lycophroni Pheraeorum tyranno auxilio profecto duobus proeliis victus Thessalia cedere coactus

---

[1]) Methonaeos, Eretriensium colonos, quum urbem suam Atheniensibus tanquam belli sedem praebere cognovisset, Philippus urbe cedere coegit Olymp. CVI. 4. Diod. XVI. 34. Hoc enim loco Methonen Macedoniae oppidum intelligendam demonstrat Strabonis Epit. VII. p. 330., qui quod Diodorus in hujus Methones obsidione Philippum refert altero oculo privatum, de Methone Macedonica narrat. Quum tamen Diodorus XVI. 31. superiore anno Methonen et Pagas a Philippo expugnatas tradiderit, Winiewski Comm. ad Dem. orat. de Cor. p. 47 sq., bis eandem Methonen intelligendam arbitratus, obsidionem Methones Maced. coeptam dixit vere Olymp. CVI. 3., deinde tolerata per aliquod tempus obsidione urbem tradidisse Methonaeos currente demum quarto anno Olymp. CVI. Attamen apud Diodorum XVI. 34. Methonen Maced. intelligendam Strabo ostendit, et priore loco de Methone Thessalica sermonem esse conjunctio hujus oppidi cum Pagis, sive ut recte scribendum censuit Wesseling. ad l. l. cum Pagasis evincit. Diodorus igitur Methones Maced. obsidionem in Olymp. CVI. 4., Thessalicae Methones in Olymp CVI. 3. retulit. Discrepat Demosthenes, qui (Olynth. I. §. 12.) Philippum post Methonen (Maced.) subactam in Thessa-

est: novis deinde copiis adductis eodem die insignem victoriam de Onomarcho retulit, quo Chares ex Chersoneso redux cum multis Atheniensium triremibus Thessaliam praeternavigavit. Diod. XVI. 35.

Tum postquam in Thessalia omnia ex arbitrio constituit, Pheras, Pagasas, Magnesiam subegit, ad debellandos Phocenses in ipsam Phocidem per Thermopylas, qua unus patebat in Graeciam aditus, invasurus ab Atheniensibus repressus est archonte Theodemo Olymp. CVI. 4. Nam quod Dionysius Halic.[1]) de orationis adv. Boeotum de Nom. auctore disserit, errare, qui Dinarcho eam adscribant *„μέμνηται γὰρ ὡς νεωστὶ τῆς εἰς Πύλας ἐξόδου γεγενημένης, ἡ δ'εἰς . . . . Ἀθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θουμήδου ἄρχοντος ἐγένετο,"* quamvis pessimis erroribus totus hic locus obrutus, quanta levitate Dionysius res gravissimas tractaverit, ipsam de qua exposuit, orationem evol-

---

liam invasisse et Pheras, Pagasas, Magnesiam cetera omnia quomodo ipsi placuerit instituisse perhibet. Nam si recte singulas res gestas numeravit, Methonen Maced. prius quam Thessalicam expugnavit Philippus, quod magis credibile videtur, quum Macedones Olymp. CVI. 4. in Thessalia fuisse aliunde constet. Absolvit quaestionem vetus titulus ed. a Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 129. (n. 90.) ex quo Methonen, de qua agimus, Macedonicam archonte Callistrato Olymp. CVI. 2. obsidione pressam fuisse jure colligimus. cf. Boeckh ad l. l. Quod si verum est, ut est, Philippum statuendum est obsedisse Methonen Maced. sub finem anni secundi Olymp. CVI., cepisse vero tum vulnere tum oppidanorum virtute tardatum insequenti anno, quo facto in Thessaliam invaserit. Boehneckei de hoc titulo sententiam (Forschung auf d. Gebiet d. Att. Redner p. 149. Adn. 2.) quae erroribus scatet, refutare nihil attinet.

[1]) Dionys. Halic. Dinarch. Vol. V. p. 665. (R.)

vere supersedens, optime demonstret [1]), tamen quum non dubium videatur quin restituendum ἡ δ'εἰς *Πύλας Ἀθηναίων ἔξοδος* (idem enim quod ante posuit Dion. repeti manifestum), et *Θουμήδου* corrigendum constet in *Θουδήμου* sive *Θεοδήμου*, id unum nobis subministrat, quod etiam a Demosthene edocemur Philippum ad Pylas rejectum multis regibus Thracicis expulsis, inductis aliis m. Maemacterione insequentis anni (Olymp. CVII. 1.) in obsidione Heraei castelli aegrotasse referente [2]), factam esse *τὴν εἰς Πύλας ἔξοδον* archonte Theodemo Olymp. CVI. 4.

Interea Olynthii, quibus Potidaeam et Anthemuntem, urbem incertae positionis (cf. tamen Cousinéry I. p. 112 sq.), Philippus Olymp. CV. 3. concesserat (Dem. Phil. II. §. 20. Diod. XVI. 8.) ea conditione, ut juncta societate conjunctim bellum gererent cum Atheniensibus, aut si aliud visum esset, communiter componerent (cf. Liban. Argum. ad Dem. Olynth. I.), ne a rege vicino summam potentiam nacto opprimerentur veriti, quum forte rex in Thracia abesset, legatos miserunt ad Athenienses, qui bellum usque eo continuatum componerent. Et affuerunt legati Athenis primo anno Olymp. CVII, quo teste Dionysio habita est Aristocratea, Epist. ad Amm. p. 725 R, societatem quoque se inituros polliciti [3]). Eodem anno m. Maemacterione quum Heraeum castellum obsideri audivissent, Atheniensis magno exorto tumultu ab oratoribus ne opportunam deprimendi Philippi occasionem praetermitterent admoniti,

---

[1]) Egregie de hoc loco disputavit Boeneck. I. l. p. 42. Adn. I., cujus sententiam amplector.

[2]) Dem. Olynth. I. §. 13., III. §. 4.

[3]) Den. in Aristocr. §. 107. sqq. *ὥσθ' ὑμᾶς . . . . . φίλους πεποίηνται, φασὶ δὲ καὶ συμμάχους ποιήσεσθαι.*

quadraginta triremes deducere, civibus eas quadraginta quinque annis minoribus implere, sexaginta talenta conferre decreverunt. Verum frustra abiit hic annus et insequentis anni menses priores, Hecatombaeon, Metagitnion, tandem m. Boedromione post Eleusinia Charidemum cum decem vacuis triremibus et quinque talentis argenti ablegarunt; fama enim divulgata aegrotare Philippum aut jam mortuum, auxilium vix opus arbitrati sunt. Dem. Olynth. III §. 4 sq.

Philippus tamen inde ab Olymp. CVI. 4, ut videtur, Athenienses per praedones omni modo vexavit, naves eorum ac sociorum diripuit, cives captos abduxit, Geraestum petiit ingentemque pecuniam congessit, in ipsam Atticam escendit, Paralum cepit, in Lemnum et Imbrum invasit[1]), denique insidiis omnis generis struendis effecit, ut Athenienses qua ratione perpetuas regis injurias effugerent, ignari summa omnes tristitia tenerentur. Exeunte vero altero hujus Olympiadis anno Philippus morbo vix recreatus, postquam subita irruptione Atheniensium Chersonesum in summum discrimen adduxerat, perfidiam ulturus ipsis Olynthiis arma intulit[2]).

Qui quum missis legatis auxilium rogassent, Athenienses quamvis eodem fere tempore in Euboea quoque bellum exarsisset inter Plutarchum Eretriensem ceterosque tyrannos, paene exhaustis ipsorum civitatis viribus cuncti tamen et Olynthiis et Euboensibus auxilio proficisci statuerunt[3]).

---

[1]) Dem. Phil. I. §. 34. De tempore harum depraedationem in disquisitione de primae Philippicae aetate disputavi.

[2]) Dem. or. c. §. 17. Boehneck. l. l. p. 159.

[3]) Dem. or. in Neaer. §. 3. sqq.

Tunc Demosthenem initio tertii anni Olymp. CVII primam verisimile est dixisse orationem Philipp. forsan sub finem Hecatombaeonis aut Metagitnionis initio: res tantopere in pessimum abierant, ut antequam de adjuvandis sociis cogitaretur, de commutanda quae eo usque obtinuerat belli gerendi ratione consultandum videretur. Duplicem apparatum poscit orator, primum enim jubet quinquaginta triremes parari, dimidiae equitum parti triremes equestres sufficientemque navigiorum copiam ad reprimendas subitas Philippi ex ipsius terra eruptiones, quales adversus Pylas, Chersonesum, Olynthum fecerit, ut ubi necessitas urgeat, ipsi cives naves conscendant; deinde quum jam non valeant Philippum justo bello opprimere, alias docet copias statim ablegandas, bis mille pedites et quingentos quidem ex his Athenienses ceteros mercenarios, praeterea ducentos equites, quorum quinquaginta sint Athenienses. Has jubet piratarum more perpetuo Philippum depopulando et depraedando vexare[1]).

Num eventum habuerit haec Demosthenis oratio, incompertum: constat tamen, etsi tunc fortasse aliud magis placuit, non multo post Athenienses quum hoc belli gerendi genus unicum sibi restare cognovissent, emporia regis clausisse, naves ejus diripuisse, omni denique modo Macedones vexasse; ut eo potissimum Demosthenes f. leg. §. 315 Philippum dicat ad bellum componendum propensum fuisse, quod ubique ab Atheniensium navibus infestatus sit. Idem testatur epistola Philippi, qua Athenienses conqueritur, quo tempore aperte bellum gestum sit (hoc factum est inde ab Ol. 106. 4 usque ad Olymp.

[1]) Dem. Phil. I. §. 16. sqq.

108. 2), misisse praedones, diripuisse naves in Macedoniam contendentes, ipsius regnum ubique infestasse. Epist. Phil. p. 160. 3. (R.)

Scimus contra Olynthiis et Euboensibus tunc auxilium missum esse Olymp. CVII. 3, quod dissuadere videtur nostra oratione Demosthenes, quia non tumultuario exercitu auxiliandum sed perpetuo milite alendo militandum, quum misso auxilio tamen quae ante facta sint, mutari nequeant [1]). Verum hoc bellum Euboicum, quum artissime conjunctum sit cum bello Olynthico, paucis adumbrandum.

Initio belli Euboici, quod inter Plutarchum Eretriensem ceterosque Euboeae tyrannos exarserat, primum equites in Euboeam trajecerunt Midia hipparcho, Chalcidem et Arguram petentes [2]). Deinde hoplitae missi sunt in alium insulae locum, in quibus ipse Demosthenes meruit. Dem. in Mid. §. 133. extr. Equites quos paullo post domum remisit Phocion, domi accusavit Midias Dem. l. l. §. 132; eosdem Olynthum expeditos esse inde patet, quod Midias equites commilitones suos quum Olynthum proficiscerentur, accusasse fertur. Ex Thracia eo tempore quo scripta est Midiana, id est Olymp. CVII. 4. nondum rediisse equites, innuit Dem. his verbis (Mid. §. 197) „*ἐνθυμεῖσθε ὅτι οἵτος τῶν μεθ' ἑαυτοῦ στρατευσαμένων ἱππέων ὅτ' εἰς Ὄλυνθον διέβησαν .... κατηγόρει, πάλιν νῦν μείνας πρὸς τοὺς ἐξεληλυθότας τοῦ δήμου κατηγορήσει.*" Ceteris Atheniensibus Tamynis obsidione pressis, quum

[1]) Dem. Phil. I. *οὐ γὰρ οἱ ταχυ καὶ τήμερον εἰπόντες μάλιστα εἰς δέον λέγουσιν (οὐ γὰρ ἂν τά γε ἤδη γεγενημένα τῇ νυνὶ βοηθείᾳ κωλῦσαι δυνηθείημεν).*

[2]) Dem. c. Mid. §. 132.

senatus, qui domi restitissent equites subsidio mittendos censuisset, Midias in concione, antequam proedri consedissent, ne eques in Euboeam expediretur, callide triremem obtulit. Postea vero quum populus auxilium non necessarium duxisset, triremem suam non ipse conscendit sed Pamphilum inquilinum misit[1]). Hoc factum est brevi ante Dionysia, i. e. ante m. Elapheb. Ol. CVII. 3. Dem. l. l.

Equites tamen qui in urbe remanserant, Phocion brevi post pugnam Tamynensem in Euboeam arcessivit *ἐπὶ τὴν διαδοχήν:* quare Midias quum nullus jam superesset detrectandae militiae praetextus, militare coactus, eques quidem non meruit, sed triremem suam conscendit[2]).

Bis igitur copiae in Euboeam trajecerunt, primum equites deinde hoplitae, quae expeditiones quo tempore factae sint, difficilis est quaestio: posteriorem vero factam esse m. Anthesterione quum ex orat. adv. Boeotum eluceat, quippe qua Mantitheus Boeotum illum quum ceteri in Euboeam trajecerint, in urbe mansisse Choasque et Dionysia celebrasse arguat Boet. de N. p. 999. §. 16. *καὶ γὰρ ὅτ' εἰς Ταμύνας παρῆλθον οἱ ἄλλοι, ἐνθάδε τοὺς χόας ἄγων ἀπελείφθη καὶ τοῖς Διονυσίοις κατεμείνας ἐχόρευεν,* necesse est equitum trajectionem aetate paullo priorem fuisse statuamus. Et accurate inter utramque expeditionem distinguit Aeschines, quamvis quot menses intercesserint, non exposuerit[3]). Quod quum doctiss. animadvertisset Bakius, belli Euboici majores censuit quam vulgo statuerent fuisse moras, et C. F. Hermannus

---

[1]) Dem. l. l. §. 162. sqq.

[2]) l. l. §. 164.

[3]) Aesch. in Ctesiph. §. 86.

ita totum sibi negotium commodissime disposuisse visus est, ut Olymp. CVII. 2. exeunte primas naves Olynthum missas esse statueret, deinde proximo auctumno vel hieme Ol. CVII. 3. proelium Tamynense poneret, ejusdemque anni Dionysiis contumeliam a Midia factam assignaret. „Nimirum, ait, primos equites ex Attica in Euboeam jam vere superioris anni Olymp. CVII. 2. profectos esse Dionysiorum mentio in orat. adv. Boeotum de nomine §. 16 ostendit, hos autem Boehneckeus p. 15 recte suspicatur eos fuisse, quibuscum Midiam prope Arguram et Chalcidem transiisse Midiana §. 132 docet; quem quum proelio Tamynensi non interfuisse ex §. 164 appareat, totum negotium commodissime ita disponetur, ut equites certe, qui vere transierunt partim secundum §. 197 Olynthum missos esse, partim ineunte aestate ad Panathenaea, ut videtur, illustranda domum rediisse statuamus, donec Phocion obsidione pressus eos Tamynas revocaret." Epicris. de Dem. anno natali Index lectt. Univ. Gotting. 1845 — 46. p. 9. Adn. 42. Verum num recte statuerit Vir Egr. dubitamus. Quod enim Dionysiorum mentionem in orat. adv. Boeot. de Nom. Elaphebolionem secundi anni Olymp. CVII. postulare censet, quo mense equites et Midias ex Attica in Euboeam trajecerint, non equitem putamus meruisse Boeotum sed peditem, ac Dionysia illa quae Boeotus Athenis celebrarit, assignanda esse Ol. CVII. 3. Scimus enim, equites non petiisse Tamynas sicut, quibuscum Boeoto militandum erat, milites, sed Chalcidem et Arguram Dem. Mid. §. 132; deinde equites illos ante Dionysia jam remisit Phocion, ut certe propter hoc festum Athenis peractum Boeotus ille *λιποταξίου* accusari non potuisset. Et tamen hoc factum esset si tunc

mercedem judices accepissent. Tum ait Demosthenes [1]) „ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν στρατιωτῶν λιποταξίου προσεκλήθη, κἀγὼ ταξιαρχῶν τῆς φυλῆς ἠναγκαζόμην κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἐμαυτοῦ πατρόθεν δέχεσθαι τὴν λῆξιν" ex quibus Mantitheum intelligimus taxiarchum hoc est tribus suae peditibus praefectum fuisse. Hunc vero quum actionem λιποταξίου contra Boeotum a militibus ex Euboea reducibus institutam accepturum fuisse legamus, nisi soluta fuissent judicia (certum est enim taxiarchos, quae ad pedites, phylarchos, quae ad equites pertinerent res administrasse), probabile videtur Boeotum illum tunc subditum fuisse Mantitheo taxiarcho, i. e. in iis hoplitis meruisse, quibus praefectus fuerit Mantitheus. Alioquin, si eques militasset Boeotus, non apud taxiarchum sed apud phylarchum tribus suae nomen deferendum fuisset. Ceterum de jurisdictione taxiarchorum et phylarchorum luculente disputavit C. F. Hermann. in Antiq. Gr. publ. §. 153.

His de causis in orat. adv. Boeot. de Nom. eandem puto intelligendam hoplitarum profectionem, cujus saepius meminit Midiana, atque quum ex hac oratione idem fere de aetate colligamus, quod expressis verbis in orat. adv. Boeot. de m. Anthesterione, quo Choes, et de Elaphebalione quo Dionysia celebrabantur, exponitur, si quidem Demosthenes in Dionysiis choragi munere fungens contumalia affectus est a Midia, non cum iis facere possumus, qui in duos annos Olymp. CVII. 2 et 3 Atheniensium in Euboea militiam distrahunt, sed aut ipso m. Anthesterione aut paullo prius haplitas trajecisse cense-

[1]) Dem. adv. Boeot. de Nom. §. 17.

mus, equites vero, qui prius transierunt, certe eodem anno Ol. CVII. 3 fortasse hieme Plutarcho auxilio expeditos esse. Nam cum non extet causa, cur superiore anno milites aut Olynthum aut in Euboeam missos statuamus, quamvis et bellum Olynthicum et Euboicum jam Ol. CVII. 2 exarsisse non dubitemus, accedit quod prima Phil., quae si recte disputasse videbimur, habita est initio insequentis anni Ol. CVII. 3, quum neque expeditionem Olynthiacam norit neque Euboicam, contra nihildum sociorum saluti tunc factum esse diserte testetur (cf. quae infra de aetate hujus orat. exponentur) huic opinioni nullo, quoad nos sciamus, veterum testimonio comprobatae prorsus obstat.

Antequam in Euboeam expedirent Athenienses, Olynthiis quoque a Philippo bello pressis auxilium missum esse constat. Conjunctim enim haec expeditio Euboica commemoratur cum Olynthica in orat. in Neaer. §. 3, quo loco etsi Olynthica post Euboicam numeratur, tamen quum propter Olynthicum bellum *δεύτεραι ἐπιδόσεις*, propter Euboicum vero *τρίται* factae sint [1]), et secundae largitiones quin tertiis aetate priores fuerint non dubium videatur, de priore expeditionis Olynthicae aetate certi sumus. Et primum quidem in Thraciam Chalcidensium auxilio missi sunt pedites, subsecuti deinde equites, qui Midia hipparchi munus tenente in Euboea breve tempus militaverant. Omnes vero equites ex Euboea reversos non trajecisse vel inde patet quod postea, qui in urbe

---

[1]) Dem. c. Mid. §. 161. *ἐγένοντο εἰς Εὔβοιαν ἐπιδόσεις παρ' ὑμῖν πρῶται . . . . ἕτεραι δεύτεραι μετὰ ταῦτα εἰς Ὄλυνθον . . . τρίται νῦν αὖται γεγόνασιν ἐπιδόσεις.*

restitissent equites, Phocioni apud Tamynas obsidione presso auxilio mittere senatus decrevit, et post proelium Tamynense Phocion eos revera arcessivit. Manserunt vero milites Athen. in Thracia inde ab initio Ol. CVII. 3 usque ad insequentis anni initium. Quo enim tempore scripta est Midiana, initio Olymp. CVII. 4, nondum rediisse ex Chalcidice penins. equites inde colligimus, quod Midiam arguit Dem., quum antea apud populum Athen. ignaviae insimularit quibuscum militarit equites, jam populum accusaturum apud commilitones ubi Athenas redierint. Cf. p. 6.

De copiis Olynthiis auxilio missis Philochori extat testimonium [1]): sed pertinet hoc ad alterum bellum Olynthicum, et pessime cum expeditionibus priore bello Chalc. missis confunditur. Ter quidem secundum Philoch. archonte Callimacho Olynthiis copiae missae sunt, primum pedites mercenarii duce Charete, deinde pedites equitesque mercenarii, quibus praefuit Charidemus; cives tertium demum ad eas copias, quae Olynthi remanserant, sunt arcessiti. Ex quibus si Philochorum non accuratum fuisse censeas in annis distinguendis, ut quas tres in unum annum retulit expeditiones, diversis annis tribuendas existimes, necesse est quum equites Olymp. CVII. 3 Olynthum expeditos esse ex Midiana intelligamus, prima vero expeditio teste Philoch. ex peditibus tantum constiterit, cum Boehneckeo duas priores Atheniensium in Thraciam expeditiones priori bello Chalcidico assignemus. Quod tamen quum per se verisimile non sit, misisse Athenienses Olymp. CVII. 3, quo anno etiam in Euboeam copiae

[1]) Philoch. ap. Dionys. Halic. Epist. ad Amm. p. 734. R.

trajecerunt, et Philippus paullulum in Chalcidice moratus mox in Thessaliam abiit, tot copias in Thraciam, insequenti vero anno, quo recruduit bellum multo vehementius, semel tantum Olynthios legatos misisse atque unum tantummodo exercitum expediisse Athenienses eorum auxilio: tum huic opinioni multa obstant. Primum enim auctor orat. in Neaer. ait ipsos cives cunctos proficisci voluisse „*καὶ μελλόντων στρατεύεσθαι ὑμῶν πανδημεὶ εἴς τε Εὔβοιαν καὶ Ὄλυνθον*," ut quum in Euboeam certe cives profectos esse compertum habeamus [1]), etiam Olynthum cives missos esse suspicemur.

Attamen quum Philochorus Olynthios referat, postquam bis in Chalcidicen expediverint Athenienses, rogasse, ut ad copias, quae in Thracia morarentur, mercenarias cives adderent (*πάλιν δὲ τῶν Ὀλυνθίων πρέσβεις ἀποστειλάντων εἰς τας Ἀθήνας καὶ δεομένων μὴ περιϊδεῖν αὐτοὺς καταπολεμηθέντας, ἀλλὰ πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις δυνάμεσι πέμψαι βοήθειαν μὴ ξενικην ἀλλ' αὐτῶν Ἀθηναίων* Philoch. l. l.) apertum est, tertium demum, quod tamen statim belli initio factum esse ex orat. in Neaer. colligimus, cives Olynthiis auxilio profectos esse. Deinde Charidemus, qui secundae expeditioni praefuit, Pallenen et Bottiaeam fertur hostiliter invasisse et devastasse (Philoch. l. l. *ἦλθεν εἴς τε Παλλήνην καὶ τὴν Βοττιαίαν καὶ τὴν χώραν ἐπόρθησεν*), ut tunc Macedones hunc tractum Olyntho finitimum tenuisse manifestum sit. Philippum tamen has terras occupasse priore bello Chalcidico, quo Potidaeam quidem eum cepisse ex prima Phil. §. 4 elucere videtur, Charetem vero cum Olyn-

[1]) Boehneck. l. l. p. 14. sqq.

thiis conjunctum feliciter pugnasse manifestum est, ut brevi in Chalcidice moratus mox in Thessaliam rex abierit, vix nobis persuadeas. Tum, quia cives ceteris militibus mercen. in Chalcidice militantibus additi perhibentur, ultimam vero civium expeditionem, cujus meminit Philoch. brevi ante Olynthi eversionem factam ne Boehneck. quidem negare potest, necessario iis qui cum Boehneckeo [1]) spreta Philochori auctoritate priores duas expeditiones priori bello Chalcid. assignant, statuendum, milites mercenarios inde a prioris belli initio Ol. CVII. 3 usque ad eversionem Olynthi Ol. CVIII. 1 in Chalcidice mansisse. Id quod Demostheni prorsus refragatur, qui quo tempore celeberrimarum initium fecit oratt. Olynth., Olymp. CVII. 4, nullas fuisse Atheniensium copias in Chalcidice, diserte testatur [2]), ut essentne juncta societate milites Olynthiis mittendi, tunc quum primam Dem. habuit Olynth., consultatum videatur. Et habitam esse hanc orationem non ut Boehneckeus perverse statuit Olymp. CVII. 2, sed ut

---

[1]) Boehneck. l. l. p. 202. sqq.

[2]) Dem. Olynth. I. §. 10. cf. Ziemann „De bello Philippi Olynthico" p. 9. „Quodsi cum prima oratio haberetur societate Athenienses nondum usi erant, etiam auxilium tum consequitur ab iis missum non fuisse." — Quodsi quo anno habitae sunt priores orationes Olynthiacae, auxilium neque missum nec societas Athenienses inter et Olynthios inita fuit, necesse est, quum hae orationes in alterius belli Olynthici initium referendae sint, neque hoc tempore i. e. Olymp. CVII. 4. copias adfuisse nec inde a prioris belli initio usque ad tertiam civium Atheniensium expeditionem in Chalcidice moratas statuamus. Ita refutata inani Boehneckei suspicione revertendum ad Philochori auctoritatem, qui diserte in Callimachi archontatum tres refert militum expeditiones. De tertia quid statuendum, mox viderimus.

Dionysius, opinor, ex Philochoro collegit, Olymp. CVII. 4, infra demonstrabitur.

His de causis tres illas expeditiones Olynthiorum auxilio missas, quas Philochorus in Olymp. CVII. 4 refert, posteriori bello Olynthico, quod gestum est per biennium Olymp. CVII. 4 et Olymp. CVIII. 1 reservandas arbitramur.

Civium exercitum Olymp. CVII. 3 Olynthiis auxilio missum, ex orat. in Neaer. collegimus: videamus nunc quantum civium numerum Demosthenes in Thraciam expeditum memoret, quantum Philochorus. Demosthenes, qui prius bellum Olynthicum (nam duo fuisse, nec uno Callimachi archontatu circumscribenda, jam inter omnes constat) fortasse quia dissuaserat expeditionem, ne verbo quidem tangit, ut ex fortuita hujus belli in Midiana mentione omnis ejus notitia fluxerit, Athenienses ait decies mille mercenariis, quinquaginta triremibus, quater mille civibus opem tulisse Olynthiis [1]): Philochorus contra, duo millia hoplitarum et trecentos equites expeditos scribit: ut calculis subductis Demosthenes mille septingentos cives plus memorasse deprehendatur quam Philochorus. Quod Boehneckeus (l. l. p. 221.) hanc discrepantiam ita tollere conatus est, ut hoplitas bis mille duce Nausicle Imbrum missos in numerum venire asseverat, primum haec expeditio non Olynthiorum auxilio, sed Atticorum colonorum praesidio suscepta est, deinde Nausicles missus est Olymp. CVII. 1, ut ejus hoplitae copiis Olynthum missis adnumerari nequeant. Mihi quidem verisimile videtur Demosthenem l. l. eos quoque numerasse cives,

[1]) Dem. de fals. leg. p. 426. §. 266.

quos priore bello Chalcid. Athenienses in Chalcidicen miserunt. Hos, quum eas tantum copias memoraret, quae archonte Callimacho Olymp. CVII. 4 in Chalcidicen missae sunt, omisit Philochorus. Quod si recte statuimus, priore bello Chalcidico circiter duo millia civium Olynthiis missa sunt.

De bello ipso unicus testis est Diod. XVI. 52, qui quum duas memorarit Philippi expeditiones Chalcidicas, priorem Olymp. CVII. 4, posteriorem insequenti anno factam (XVI. 53), atque inter utramque injecerit invasionis Thessalicae mentionem, satis innuit priorem expeditionem eandem esse, quam Olymp. CVII. 3 susceptam ex Midiana intelleximus, posteriorem vero eam, quam spectent Dem. oratt. Olynth. Priore igitur bello Chalcidico Diodorus Philippum ait urbes Chalcidicas adortum Giram castellum diruisse et nonnulla oppidula formidine injecta suae ditioni subjecisse. Ad idem bellum Chalcid. pertinent duo, quae aetatem tulerunt, ex Theopompi historr. Philipp. libro XX. fragmenta (cf. Boehneck. l. l. p. 32) alterum (Athen. IX. p. 401. B) de Bisaltia agens, in qua lepores gignantur bina habentes jecinora, alterum de fabula quadam principibus Chalcidensium a Philippo narrata exponens (Theo Progymn. c. 2), quam quum sensus esse videatur ne quis superbia elatus excitet belli atrocitatem, verisimile putamus explicasse Philippum quum ex Chalcidice sese reciperet, brevi se rediturum non occulte minatum [1]).

---

[1]) Athenienses duce Charete priore bello Chalcidico secundo Marte pugnasse, jure nobis colligere videmur ex. Theop. apud Athen. XII. p. 532. D. E. *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ τοῦ Θεοπόμπου*

Pitholaum tyrannum postquam Pheris ejecit, Olynthios denuo aggressus est Philippus Olymp. CVII. 4. Diod. XVI. 53. Quod frustra post pacem Antalcideam moliti erant Olynthii, ut omnibus oppidis Chalcidicis in unum contractis ceteras quoque civitates finitimas ad societatem faciendam adigerent, tunc factum erat. Qui tamen antea, ait Dem. f. leg. §. 266, quamvis quadringentos tantum equites haberent, cuncti vix quinquies mille, Chalcidensibus nondum in unum contractis, quum Lacedaemonii imperii terrestris et maritimi principatum tenentes bellum movissent, non modo castellum nullum amiserunt, sed victoria saepius reportata postremum pacem ex ipsorum arbitrio fecerunt — iidem Olynthii quum mille equites haberent et civium essent decem millia, vicinis civitatibus societate junctis, proditione interierunt. —

Athenienses autem quum Olynthii de societate ineunda legatos misissent, quantum periculum ipsi immineret Atticae, si Olynthios oppressisset Philippus, ab Aeschine et Demosthene edocti, non solum ipsi copiis adjuvare sed etiam ut communem omnium Graecorum hostem debellarent, ceteras Graeciae civitates missis legatis adhortari decreverunt.

Et Demosthenes quidem tunc senatorio munere fungens Olynthiorum sibi elegit patrocinium, quo summam postea laudem et auctoritatem sibi comparavit Plut. Dem.

συγγράμματι περὶ τῶν ἐκ Δελφῶν συληθέντων χρημάτων Χάρητί φησι τῷ Ἀθηναίῳ διὰ Λυσάνδρου τάλαντα ἑξήκοντα, ἀφ' ὧν ἐδείπνισεν Ἀθηναίους ἐν τῇ ἀγορᾷ, θύσας τὰ ἐπινίκια τῆς γενομένης μάχης πρὸς τοὺς Φιλίππου ξένους ὧν ἡγεῖτο μὲν Ἀδαῖος Ἀλεκτρυὼν ἐπικαλούμενος. Hoc enim ad priorem expeditionem pertinere, sponte patet.

c. 12, et tunc Olymp. CVII. 4 primam dixit Olynthiacam Dion. Halic. Epist. ad Amm. p. 726. R., cujus aetate oblatam dumtaxat fuisse societatem, nondum acceptam, comprobant ipsius oratoris verba Olynth. I. §. 10 „*πεφηνέναι τέ τινα ἡμῖν συμμαχίαν τούτων ἀντίῤῥοπον, ἂν βουλώμεθα χρῆσθαι, τῆς παρ' ἐκείνων εὐνοίας εὐεργέτημ' ἄν ἔγωγε θείην.* Prioris belli Olynthici nescio qua de causa nulla in hac oratione mentio fit, ipsos ait Demosthenes omni studio bello Olynthios inter et Philippum concitando operam dedisse Athenienses, et quod ante frustra moliti sint, jam fortuito accidisse [1]). Sed cavendum est, ne inde quod ab oratore prorsus omissa est prioris belli Olynthici mentio, non duo fuisse colligamus, sed unum tantummodo bellum in Olymp. CVII. 4 referendum: utrumque enim tuentur Diodorus XVI. 52. 53. et ipse Demosthenes [2]), neque restare videtur, quam ut Demosthenem consulto prius bellum Olynthicum et Euboicum idcirco in prima Olynth. non memorasse dicamus, quod ipse antea has expeditiones dissuaserit. Et bellum Euboicum cum sciamus oratorem omnino non probasse, et tantum non ab adversariis dilaceratum, ut ipse Olymp. CVIII. 3 ait in orat. de pace, infelicem ejus belli et inglorium eventum deplorans [3]), concessisse,

---

[1]) Dem. Olynth. I. p. 10. §. 7.

[2]) orat. cit. p. 13. §. 13. *πάλιν ῥαΐσας οὐκ ἐπὶ τὸ ῥᾳθυμεῖν ἐπέκλινεν, ἀλλ' εὐθὺς Ὀλυνθίοις ἐπεχείρησεν.* Haec, si temporum ordinem respicias, quibus succeptae sunt variae expeditiones l. l. recensitae, necessario ad prius bellum Chalcidicum referenda. Deinde ex Midiana fluxit notitia belli Chalcidici Olymp. CVII. 3. gesti p. 566. §. 161.

[3]) Dem. de pac. p. 58. §. 5.

haud scio an ipsa ratio suadeat, ut idem de priore bello Olynthico statuamus: certe quid sibi velit prima oratio Philippica, nemo facile satis intelligat, nisi oratorem eo animo fuisse dicat, ut antequam sociis succurrerent Athenienses, totam belli gerendi et sociis auxiliandi rationem commutandam censeret.

Oppida Chalcidensium primae Olynthiacae aetate nondum occupaverat Philippus. Suadet enim orator, ut missis copiis oppida Chalcidensibus tueantur, deinde ut alias triremes militesque expediant, qui Macedoniam ipsam perpetuo infestent [1]). Oppidis igitur Chalcidicis, non etiam Olynthiis, quibuscum perpetuo missis legatis transegisse fertur, ne sibi ipsis ullum crederent imminere periculum, tunc Philippus arma intulerat.

Brevi post alteram Demosthenes habuit Olynthiacam, quum teste Libanio (Arg. ad Olynth. II.) auxilium decretum esset, ipsi tamen Athenienses, quod Philippum nimis periculosum arbitrarentur hostem, cunctarentur: qua oratione id efficeret orator, ut Macedonum potestatem, quippe quae fraude comparata esset, parum firmam et terribilem esse demonstraret, atque ut abjecta omni cunctatione strenue res capesserent, cives hortaretur.

Et miserunt Athenienses auxilium, primum Charetem cum bis mille peltastis et triginta triremibus, quas etiam impleverunt Philoch. apud Dion. Epist. ad Amm. p. 734, deinde Charidemum *τὸν ἐν Ἑλλησπόντῳ στρατηγόν* cum octodecim triremibus, quatuor millibus peltastarum, cen-

---

[1]) Dem. Olynth. I. §. 17. „*τῷ τε τὰς πόλεις τοῖς Ὀλυνθίοις σώζειν καὶ τοὺς τοῦτο ποιήσοντας στρατιώτας ἐκπέμπειν, καὶ τῷ τὴν ἐκείνου χώραν κακῶς ποιεῖν καὶ τριήρεσι καὶ στρατιώταις ἑτέροις.*"

tum quinquaginta equitibus, qui cum Olynthiis Pallenen et Bottiaeam invaserunt, et totam regionem diripuerunt. Philochor. l. l. p. 735.

Charidemus etsi homo perditus, qui assidue potaret atque ingenuis quoque mulieribus vim inferre conaretur, initio bellum cum aliquo successu gessisse videtur. Quum enim eum a senatu Olynthiorum adulescentulum cum Derda Macedone captum poposcisse Theopompus narret ap. Athen. X. p. 436 B. C., ex hac historiola vicisse eum aliquando Macedones Viri D. D. satis argute collegerunt.

Tantum vero abfuit, ut Olynthii Atheniensium copiis aucti Philippum reprimerent, ut quum in oppidulis ipsis factiones langitionibus excitasset Macedo, triginta duo intra anni spatium caperet; ac saepe ignorasse ait Dem. Philippum in summa proditorum copia, quo primum se verteret, quibusve proditoribus primum obtemperaret[1]). Insequenti anno Olymp. CVIII. 1. m. Boedromione[2]), quum victoriola de Macedonum exercitu reportata praedam belli

---

[1]) Dem. *περὶ παραπρ.* §. 266.

[2]) M. Boedromione belli praedam Athenas allatam esse ex oratione ipsa elucet, Olynth. III. §. 31. *ἡ Βοηδρόμια πέμψωσιν οὗτοι*, quemadmodum scribendum esse, jam omnes Viri D. D. consentiunt. Ulpianus ad hunc locum, quomodo explicandus sit intelligens, adnotavit *„φασίν, ὅτε ἔπεμψε τὴν λείαν ὁ Χάρης, Βοηδρόμια ἦν.* Hoc quum noverit Olynthiaca III., necessario aut ipso m. Boedromione aut paullo post habita est, certe tunc feliciter cum Philippo pugnatum esse, ex oratione ipsa patet. Sitne tamen praeda jam m. Boedromione Olymp. CVII. 4. an Olymp. CVIII. 1. missa, quum tunc finito priore bello Chalc. Philippus in Thessalia moratus videatur Dem. Olymp. II. §. 14. Diod. XVI. 52, dubium esse non potest. Simul vero Olynthiaca III., quum a m. Boedromione illo non possit removeri, habita videtur Olymp. CVIII. 1.

Athenas misisset Chares, et populus gaudio et fiducia plenus a stultis oratoribus Philippum jam devictum arbitrantibus ad ultionem sumendam incitaretur, Demosthenes veritus, ut ait Libanius Arg. ad Olynth. III, ne nimium prosperae rerum conditioni confisi, quae necessaria essent, negligerent, tertiam dixit Olynthiacam. Hortatur, ut cives mittantur, neve propter fortuitam regis calamitatem jam devictos credant Macedones, praecipue vero, quod in prima oratione Olynthiaca, ne tale quid rogasse convinci posset, cautissime tetigerat, jam acerrime flagitat, ut nomothetas constituant ad abrogandam legem Eubuliam de pecunia theatrali. Dem. Olynth. III. §. 10 sqq.

Athenis namque quum initio non saxeum sed ligneum esset theatrum, in quo paucis sedes paterent, rixis saepe et verberibus effectis, decretum est, ut nisi erogatis binis obolis, pauperibus, ne spectaculo excluderentur, publice distribuendis, aditus nemini pateret. Ita factum est, ut pecunia, quae ante civibus militantibus erogari solebat, otiosis hominibus, qui domi festis spectaculisque intererant, dispertiretur. Quum vero orto bello Euboico et Olynthico Olymp. CVII. $^2/_3$ vires rei publicae nimis exhaustae essent, quo anno judicia adeo propter stipendiorum inopiam soluta fuere [1]), Apollodorus tunc senatorio munere fungens in senatu rogationem tulit de pecuniis theatralibus in militares commutandis. Neque ex populo quisquam saluberrimae Apollodori rogationi adversatus est, quin reliquae aerarii pecuniae sicut antiquitus in stipendia militum conferrentur; verum Stephanus hoc decretum contra

---

[1]) Dem. c. Boeot. de Nom. §. 17. *καὶ εἰ μισθὸς ἐπορίσθη τοῖς δικασηρίοις, εἰσῆγον ἂν δῆλον ὅτι.*

leges rogatum arguit, et quum ad judices res delata esset, quindecim tatentum multa irrogata est Apollodoro [1]). Tum Eubulus, apud quem eo tempore summa auctoritas et pondus, legem pertulisse fertur, ut qui postmodo de pecunia theatrali in militarem commutanda ad populum tulisset, capite plecteretur [2]).

Fueritne lex Eubutia eo tempore, quo habitae sunt duae priores oratt. Olynth., jam sancita, an antecesserint hae orationes Apollodori calamitatem et Eubuli legem, nemo, opinor, qui attente orationes Olynth. perlegerit, dubitabit, ex quibus nostro judicio, etiamsi de lege illa prorsus nihil compertum haberemus (quamvis prorsus confictam esse totam rem a Dem. scholiasta, cogitari nequeat), tamen tale quid orationum Olynthiacarum aetate Eubuli viri potentissimi auctoritate sancitum fuisse, necessario colligendum esset.

Quippe prima orat. Olynth. tam caute pecuniarum theatralium ratio perstringitur, ut etsi ipsius legis Eubuliae diserte nulla mentio fit, tamen summa, qua rem tangit Dem., prudentia et circumspectio nobis persuadeat, fuisse tunc aliquid, quod ne libere negotium exponeret, obstaret. Disserit orator Olynth. I. §. 19 de pecunia ad milites comparandos necessaria, et tantam ait Atheniensibus esse pecuniarum copiam, quanta nulli alii genti; accipere vero cives pecunias illas ex ipsorum arbitrio. Quae si mili-

---

[1]) Dem. in Neaer. §. 2. sqq. cf. de pecuniae theatralis ratione Liban. Arg. in Olynth. I.

[2]) Ulpian. ad Dem. Olynth. I. p. 13. „*εἶτα ἐπιχειρήσαντος Ἀπολλοδώρου τινος πάλιν αὐτὰ ποιῆσαι στρατιωτικὰ, βουλόμενος Εὔβουλος, ὁ πολιτευόμενος δημαγωγὸς ὤν, πλείονα εὔνοιαν ἐπισπάσασθαι τοῦ δήμου πρὸς ἑαυτὸν, ἔγραψε νόμον τὸν κελεύοντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι, εἴ τις ἐπιχειροίη μεταποιεῖν τα θεωρικὰ στρατιωτικά.*

tantibus erogentur, sufficiant, nec aliis opus esse largitionibus: si non erogentur, opus esse et quidem necessario. Sed jam veritus, ne audacius dixerit, his verbis sese quodammodo in viam revocat orator (cf. Liban. Arg. ad. orat. l.) *τί οὖν ἄν τις εἴποι, σὺ γράφεις ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά,* ipse ex se quaerit, feratne de pecuniis militaribus militibus dispensandis rogationem. Minime vero, respondet; tale quid nunquam in animo fuit „*ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι στρατιώτας δεῖν κατασκευασθῆναι καὶ ταῦτ' εἶναι στρατιωτικά, καὶ μίαν σύνταξιν εἶναι τὴν αὐτὴν τοῦ τε λαμβάνειν καὶ τοῦ ποιεῖν τὰ δέοντα. ὑμεῖς δὲ οὕτω πως ἄνευ πραγμάτων λαμβάνειν εἰς τὰς ἑορτάς. ἔστι δὴ λοιπόν; οἶμαι, πάντας εἰσφέρειν, ἄν πολλῶν δέῃ, πολλά, ἄν ὀλίγων, ὀλίγα.*" Nullam igitur Dem. fert rogationem de commutandis pecuniis theatr., verum ne tale quid sibi imputetur, cautissime et artificiosissime evitat. Ex his, quum tantae prudentiae certe aliquam causam fuisse appareat, cur negotium per se simplicissimum tantas cautiones habuerit (licebat enim in nomothetarum consessu cuilibet de lege aut sancienda aut abroganda verba facere), ut Dem., qui potius castigandi quam adulandi munus sibi per totam vitam elegisse videatur, hic a consueta *παῤῥησίᾳ* omnino recesserit, tum scholiastes explicat, tum tertia suppeditat Olynthiaca. Ex hac enim intelligimus (Olynth. III. §. 12. *πρὶν δὲ ταῦτα πρᾶξαι, μὴ σκοπεῖτε τίς εἰπὼν τὰ βέλτιστα ὑπὲρ ὑμῶν, ὑφ' ὑμῶν ἀπολέσθαι βουλήσεται*), Apollodorum, hunc enim intelligendum ex orat. in Neaer. §. 4. sponte patet, quod de pecuniis theatralibus in militares commutandis rogationem tulerat, in summum periculum adductum esse [1]). Jam suadet orator

[1]) cf. Bak. Hypomn. schol. III, p. 350.

l. l. §. 11, ut nomothetae constituantur „*ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα (εἰσὶ γὰρ ἱκανοὶ ὑμῖν) ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε,*" et quas leges, quippe quae omnibus noceant, abrogandas censeat, aperte exponit „*λέγω τοὺς περὶ τῶν θεωρικῶν σαφῶς οὑτωσί, καὶ τοὺς περὶ τῶν στρατευομένων ἑνίους, ὧν οἱ μὲν τὰ στρατιωτικὰ τοῖς οἴκοι μένουσι διανέμουσι θεωρικά, οἱ δὲ τοὺς ἀτακτοῦντας ἀθῴους καθιστᾶσιν, εἶτα καὶ τοὺς τὰ δέοντα ποιεῖν βουλομένους ἀθυμοτέρους ποιοῦσιν.*" Quas leges, inquit, ubi abrogarint, ac libere dicendi viam tutam praebuerint, tum demum quaerendum, quis sit rogaturus, quae omnibus expediant.

Hinc, cur in prima Olynth. rem tam caute tetigerit orator, elucet: cavendum enim erat ne, si de pecuniis theatralibus in militares convertendis tulisset, lege Eubulia teneretur. Et in tertia Olynthiaca (in secunda enim rem ne verbo quidem tetigit) non aperte de pecuniis theatralibus ad populum fert, sed quae sola restabat, viam ingressus suadet, ut nomothetae abrogata lege Eubulia omnibus perniciosa potestatem faciant iis, qui civibus bene consulant, libere dicendi et de re ipsa rogandi.

His de causis mihi persuasum est, tres oratt. Olynth. habitas esse post Apollodori calamitatem, quam quum factam sciamus priore bello Chalcidico Orat. in Neaer. l. l., ad posterius bellum Chalcidicum Olymp. CVII. 4. et CVIII. 1. gestum eas referendas arbitramur. Et priores quidem recte in Olymp. CVII. 4. retulit Dionys. Halic. l. l., tertiam quod falso eidem anno assignavit, (hanc enim in Olymp. CVIII. 1. referendam Boedromiorum, ut supra exposui, in ipsa oratione mentio evincit), deceptus

est, ut ex ipsius verbis elucet (l. l. p. 734.), Philochori tres Atheniensium expeditiones Olynthiorum auxilio susceptas uno Callimachi archontatu circumscribentis testimonio. —

Quum igitur post m. Boedromionem Olymp. CVIII. 1. Olynthii rogassent[1]), ut praeter eas copias, quae in Thracia versarentur, alias mitterent non ex mercenariis militibus sed ex civibus Atheniensibus, alias expediverunt triremes septendecim, hoplitarum duo millia, equitesque trecentos triremibus equestribus impositos. Charetem vero toti expeditioni praefecerunt. Philoch. apud Dionys. p. 735. R.

Sed ne quid proficerent, obstitit vilissimus multorum Olynthiorum animus, qui non modo Apollonidem, patriae amantissimum, solum vertere coegerunt, sed ipsi summam rerum committerent Lastheni et Euthycrati, quorum ille domum suam lignis ex Macedonia dono missis contexit,

---

[1]) Quod post m. Boedromionem Ol. CVIII. 1. Charetem dixi civium exercitui praefectum in Thraciam missum videri, haec expeditio nullo modo suscepta esse potest, antequam Dem. tertiam dixit Olynthiacam. Etenim cives hujus orat. aetate ad bellum gerendum nondum profectos fuisse, quum ex orat. §. 30 sqq. eluceat, ipsa autem oratio habita sit Ol. CVIII. 1. aut ipso m. Boedr. aut statim post, consequens est, Charetem post m. Boedromionem hujus anni in Thraciam navigasse. Jam primae expeditioni altero bello Chalc. susceptae Chares praefuit, qui redieritne Athenas, an in Chalcidice etiam postquam Charidemus advenerat, remanserit, parum liquet. Si fides habenda scholiastae, qui ad Olynth. III. §. 35. „ὅτι δὲ οἱ τοῦ δεῖνος νικῶσι ξένοι, ταῦτα πυνθάνεσθαι· ταῦτα γὰρ νυνὶ γίγνεται" adnotavit τοῦ δεῖνος· τοῦ Χάρητος schol. Bav. p. 41. R., Chares fuit, cujus mercenarii cum Philippo secundo Marte pugnaverant, ut tunc Charetem et Charidemum in Chalcidice moratos statuamus. Equidem tamen, quum Charetem Dem. excusare soleat, τὸν δεῖνα Charidemum vocari puto. cf. Ziemann l. l. p. 13.

hic boves multos aluit pretio numerato nullo. Dem. f. leg. §. 265.

„Brevi tempore Olynthiis duobus proeliis victis et ad tolerandam obsidionem adactis, dum crebris oppugnationibus urbem tentat, rex magnam suorum muros subeuntium jacturam fecit. Tandem Euthycratis et Lasthenis, summo tunc magistratu in urbe fungentium perfidia Olynthum sibi proditam cepit, captamque diripuit, et cives servituti addictos cum reliqua praeda venumdedit." Olymp. CVIII. 1. Diod. XVI. 53. ibique Wesseling.

DE PRIMAE PHILIPPICAE AETATE.

De prima Demosthenis Philippica summam videmus tum veterum tum recentiorum dissensionem extare, cujus non modo aetas incerta atque ambigua, sed de qua ne id quidem videtur constare, sitne una existimanda an ex duabus orationibus diversis temporibus assignandis male conglutinata. Dionysius enim Halic., de his litteris meritissimus, quum in epist. ad Amm. p. 725 (R.) Demosthenem archonte Aristodemo Ol. CVII. 1 orationum Philippicarum initium fecisse et *περὶ τῆς ἀποστολῆς ξενικοῦ στρατεύματος καὶ τῶν δέκα Γαδικῶν τριήρων εἰς Μακεδονίαν* disseruisse, deinde praetermissa quinta sextam Phil., cujus initium sit *ἃ μὲν ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθ., δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτ' ἔστιν* habitam scripserit arch. Themistocle Ol. CVIII. 2 *περὶ τῆς φυλακῆς τῶν νησιατῶν καὶ τῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ πόλεων* (Dion. l. l. p. 736 (R), quam unam exhibent libri MSS., primam Phil. in duas orationes divellendam censuit, cujus partem

priorem tanquam primam Phil. in Ol. CVII. 1, posteriorem inde a verbis *ἃ μὲν ἡμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθ., δεδυνήμεθα εὑρεῖν, ταῦτ' ἐστι* tanquam sextam Phil. in Ol. CVIII. 2 retulit. Neque obiter tantum in epist. ad Amm. hanc quaestionem tetigisse Dionysium, sed in libro nobis deperdito copiosius sententiam suam exposuisse, ut recte monuerunt VV. DD., docet schol. ad illa verba *ἃ μὲν ἡμεῖς κιλ.* (Dem. Phil. I. §. 30) „*ἐντεῦθέν φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς ἑτέρου λόγου εἶναι ἀρχήν· προοίμιον δὲ, φησὶν, οὐκ ἔχει, ἐπειδὴ δευτερολογία ἐστὶν, ἐν αἷς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οὐκ εἰσὶ προοίμια,*" ut inepta videatur eorum VV. DD. sententia, qui sextam Dionysii Phil. asseverant a posteriore primae Phil. parte distinguendam, aliamque orationem Dem. nobis deperditam intelligendam. Cf. Ferd. Rank. Ersch. et Grub. Encycl. s. v. Dem.

Simul vero statuendum erit, quod levissimis argumentis in dubium vocavit Boehneckeus l. l. p. 227, eam orationem quam Dionysius dicit primam Philippicam, et primo anno Olymp. CVII. tribuit, eandem esse orationem sive ejusdam orationis priorem partem, quae etiamnunc primae Philippicae nomine fertur. Nam quod vir D. his Dionysii verbis „*καὶ λόγους ἐν τῷ δήμῳ διέθετο περὶ τῆς ἀποστολῆς ξενικοῦ στρατεύματος καὶ τῶν δέκα Γαδικῶν τριήρων εἰς Μακεδονίαν*" non putat significari primam Philippicam, quippe quae plura aliaque contineat, neglexit Vir Doct., quod in tali quaestione gravissimum est, Dionysium, qui sextae quoque Phil. argumentum tam negligenter adscripsit, ut extiterint, qui coelum et terram miscentes hanc orationem nullo modo alteram primae Phil. partem haberi posse contenderent (cf. Bremi. in libro, qui inscribitur „Philol. Beiträge aus d. Schweiz"

Vol. I), nequaquam accuratum scriptorem non eo animo fuisse, ut copiosam totius orationis enarrationem explicaret, verum attulisse, quae aut ipsi viderentur maxime memorabilia, aut quae forte memoria suppeditaret.

Quod tamen attinet ad hanc Dionysii sententiam, recte monuit Winiewski, l. l. p. 60, „pro non dirimenda oratione argumentum omnium firmissimum internam esse ambarum partium cohaerentiam". Omnia enim ita cohaerent, ut posterior orationis pars semper ad priorem respiciat, et hujus notitia opus sit ad posteriorem orationis partem intelligendam, ut denique, quod est gravissimum, tota orationis dispositio, quamvis insueta, summa tamen arte et studio elaborata videatur.

Haec interna ambarum partium cohaerentia optime elucet ex his verbis Dem. Phil. I. §. 33. „*ἃ μὲν οὖν χρήσεται καὶ πότε τῇ δυνάμει παρὰ τὸν καιρὸν ὁ τούτων κύριος καταστὰς ὑφ' ὑμῶν βουλεύσεται. ἃ δ'ὑπάρξαι δεῖ παρ' ὑμῶν, ταῦτ' ἔστιν ἃ ἐγὼ γέγραφα. ἂν ταῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πορίσητε τὰ χρήματα πρῶτον ἃ λέγω, εἶτα καὶ τἆλλα παρασκευάσαντες, τοὺς στρατιώτας, τὰς τριήρεις, τοὺς ἱππέας, ἐντελῆ πᾶσαν τὴν δύναμιν νόμῳ κατακλείσητε ἐπὶ τῷ πολέμῳ μένειν κτλ.*" Hic enim ait orator, quomodo et quando copiis utendum sit, imperatoris esse ab Atheniensibus constituti officium, civibus vero quae praestanda sint, se ipsum rogasse, et hortatur cives, ut pecuniam, quam dixerit, primum conferant, deinde etiam cetera parent, milites triremes equites, totumque apparatum lege ad bellum adstringant. Omnia vero quae hic tangit orator, copiosius in priore orationis parte exposuit, ubi §. 19 sq. de militibus, quot mercenarii, quot cives esse deberent, de equitibus

§. 21, de triremibus §. 16 et §. 21 sq. disseruit, ut si posteriorem orationis partem a priore separandum censeas, integram orationem, quam unam esse interna partium cohaerentia demonstrat, in duas mancas oratiunculas divellas.

Sed omissis his de divellenda integra oratione nugis (errasse enim Dionysium, jam omnes consentiunt, Wieniewski l. l., Boeckh. de arch. pseudepon. p. 135 adn., Boehneck. l. l. p. 259.), jam ad aetatem ejus constituendam accedamus. Et primum quidem, ut recte animadvertit Boehneck. l. l. p. 243 cf. Hermann. Epicr. p. 9, oratio nullo modo habita esse potest, antequam Olynthios inter et Philippum pugnatum est, quippe qua subitarum Macedonum adversus Pylas, Chersonesum, Olynthum expeditionum mentio fiat Phil. I. §. 17, atque ad eas coercendas quantus sufficere videatur apparatus, exponatur. or. I. §. 16. Pugnatum vero non esse inter Olynthios et Macedones Ol. CVII. 1, quum testetur Aristocratea, cujus aetate nondum exarsisse bellum Chalcidicum ex ipsa oratione elucet §. 107 sqq., rejicienda Dionysii sententia priorem primae Philippicae partem in Olymp. CVII. 1. referentis. Sed quo anno habita sit, quam post Olymp. CVIII. 1. locum non invenire, Olynthi in ipsa oratione mentio (I. §. 17) evincit, tum demum constitui poterit, ubi Philippi quae memorantur, res gestas, in quos annos referendae cognoverimus.

Ex illis, quae tanquam omnibus notissimae memorantur subitae Philippi ex ipsius terra eruptiones (*ταῦτα μὲν οἶμαι δεῖν ὑπάρχειν ἐπὶ τὰς ἐξαίφνης ταύτας ἀπὸ τῆς οἰκείας χώρας αὐτοῦ στρατείας εἰς πύλας καὶ Χερρόνησον καὶ Ὄλυνθον καὶ ὅποι βούλεται* Dem. Phil. I.

§. 17. cf. Voemel. ad l. l. Edit. Philipp. oratt. V. Vol. II, p. 173), expeditio Pylensis, ut supra vidimus, pertinet in Ol. CVI. 4, quo anno quum ad prosternendos Phocenses in ipsam Phocidem penetrare conarentur Macedones, Athenienses occupatis Thermopylis Philippum rejecerunt. Justin. VIII. 2. Deinde expeditionem Olynthiacam, quae tertio loco memoratur, pertinere in Olymp. CVII. 3, non, ut ante creditum est, in Olymp. CVI, doctissima Boehneckeus effecit argumentatione. Chersonesia vero expeditio, quam iterum memorat Demosthenes orat. l. §. 41, Athenienses dicens, quum Philippum in Chersonesum invasisse audivissent, auxilium mittere decrevisse, quo anno facta sit, incertum. Diodorus eam praetermittit, nam quod (XVI. 53.) Philippum ait Ol. CVII. 4. properasse urbes ad Hellespontum sitas subigere, et deinde Mecybernae, Torones, Olynthi eversionem refert, satis apparet, novisse eum nullam expeditionem Chersonesiam praeter notissimam post appidorum Chalcidicorum excidium susceptam. Temere tamen Boehneck. l. l. p. 256, cupidius quam verius disputans, Diodorum ait, quum Philippum properasse dixerit urbes Hellesponto adjacentes subjicere, innuisse, antequam Chalcidensibus denuo arma intulerint, Ol. CVII. 4 in Chersonesum invasisse Macedones. Neque credibile est, Philippum, qui Pitholao tyranno Pheris ejecto Chalcidenses statim aggressus est Diod. l. l., medio bello Chalcidico, quum non solum cum potentissimis civitatibus Chalc., quarum triginta duas evertisse fertur (Boehneck. l. l. p. 154), verum etiam cum Atheniensibus, qui tres illo bello exercitus expedierunt (Philoch. ap. Dion. p. 734 R.), per continuum biennium dimicaret, Chersonesum invasisse.

Philippum Ol. CVIII. 2, quod multi cum priore ex-

peditione Chersonesia pessime confuderunt, Atheniensium Chersonesum invasisse, optime demonstrat Aeschines, qui Athenienses ait, quum ex Macedonia contendisset Philippus, non jam de Amphipoli, sed de Lemno, Imbro, Scyro dimicasse, ac reliquisse cives Athen. Chersonesum uno omnium suffragio Atheniensibus addictam; tum tulisse Cephisophontem, Charetis amicum, ut quam celerrime navigaret Antiochus et si Charetem alicubi nactus esset, mirari diceret populum Athen., quod Phil. ipsorum Chersonesum invaderet, ipsi tamen nescirent, ubi praetor esset et expeditio. Aesch. f. leg. §. 75 sq. Latum est hoc decretum (Aesch. l. l. §. 77. *οἱ μὲν καιροὶ τῆς πόλεως τοιοῦτοι ἦσαν, ἐν οἷς οἱ περὶ τῆς εἰρήνης ἐγένοντο λόγοι*) Ol. CVIII. 2. m. Elaphebolione; hoc enim mense de pace cum Philippo facienda deliberabatur.

Deinde Philippum prodit Diod. XVI. 45. eversa Olyntho Ol. CVIII. 1. ludos Olympicos egisse magno cum fastu, et quum eodem fere tempore Ol. CVIII. 2. contra omnium exspectationem per histriones de pace agere coepisset, legati missi sunt in Macedoniam, inter quos Aeschines et Dem. Nanciscuntur legati Philippum jam in Thraciam moturum, qui tamen promittit, sese, quamdiu de pace facienda deliberaturi sint, Atheniensium Chersonesum non infestaturum. Aesch. l. l. §. 87. Cepit Phil. Hieron oros et regno privavit Cersobleptem d. XXV. m. Elapheb. Aesch. l. l. §. 96; neque minus Atheniensibus multa eripuit, quaecunque ante pacem jurejurando confirmatam expugnaturus esset, sua mansura arbitratus. Dem. de Cor. §. 26.

Haec vero expeditio Chersonesia, quam paucis adumbrandam censuimus, quum in Ol. CVIII. 2. post Olynthi

excidium referenda sit, distinguenda a priore Philippi in Chersonesum invasione, quae bellum Chalcidicum necessario antecessit Dem. Phil. I §. 17; neque restat quam ut eandem in prima Phil. intelligendam dicamus, quam respicit or. in Neaer. §. 3. Hinc enim quum intelligamus, Athenienses initio belli Euboici et Olynthici de Lemno, Imbro, Scyro Chersonesoque sollicitos fuisse (ait enim auctor hujus orat., quum bellum exortum esset Euboicum et Olynthicum, intellexisse Athenienses, aut sociis strenue adjutis Philippum prorsus devictum fore, suaque sese sine timore et negotio administraturos, aut exercitu propter stipendiorum inopiam dissoluto jam sese de propriis bonis, de Lemno, Imbro, Scyro, Chersoneso dimicaturos), atque hujus de insulis sollicitudinis certe aliquam causam fuisse sponte pateat (verisimile enim non est, memoraturum fuisse oratorem summum illud insularum periculum tanquam jam belli Olynthici et Euboici initio cognitum, nisi tunc insulae a Philippo infestatae fuissent), non a vero aberrabimus, si Philippum statuemus ante bellum Olynthicum insulas Atheniensium infestasse et in Chersonesum invasisse. Philippum tunc in Thracia fuisse, ex Demosthene intelligimus Olynth. I §. 13., Heraeum castellum obsidione clausit Ol. CVII. 1, et insequenti anno m. Boedromione Charidemus ablegatus est Olynth. III §. 4, ut vel hanc ob causam expeditionem Philippi Chersonesiam, ut innuit Dem. eam post Pylensem et ante Olynthicam memorans Phil. I §. 17, paullo antequam Olynthios Ol. CVII. 2 ex. aggressus est, factam existimem.

Eodem tempore, quo in Chersonesum invasit Philippus, insulas quoque Atheniensium devastatas esse, quum ex orat. in Neaer. l. l. eluceat, tum confirmat prima Phil.,

quippe quae et Chersonesiam invasionem (§. 17) et insularum naviumque depraedationes memoret (§. 34). Conqueritur namque orator, quod cives et socii Atheniensium capti in servitutem abducti, Lemnus et Imbrus devastatae, ad Geraestum navigia direpta sint; sacram denique triremem, quam Paralum fuisse Harpocr. s. v. ἱερὰ τριήρης ex sexto libro atthidis Philochori et Androtionis adnotavit, Macedones in ipsam Atticam escendentes abduxerant. Dem. l. l. Ex his depraedationibus invasionis Philippi in Imbrum insulam mentionem infert decretum insertum Dem. orat. de Cor. §. 115. Orator enim l. l., eos quoque, qui muneris gesti rationes non dedissent coronari solitos demonstraturus, duo profert decreta, ambo, ut videtur eodem die et ab eodem Callia, ut scriptum est, perlata archonte, ut ajunt, pseudeponymo Demonico Phlyense.

Priore psephismate corona decernitur Nausicli τῷ ἐπὶ τῶν ὅπλων, quod quum Philo ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως κεχειροτονημένος tempestatibus (διὰ τοὺς χειμῶνας) a navigando impeditus fuerit, ipse bis mille Atheniensium hoplitis Atticis in Imbro colonis opem ferentibus, stipendia erogarit. Posteriore documento, senatusconsulto, coronae decernuntur Charidemo et Diotimo, quod aliquot adolescentes in pugna ad fluvium (ἐν τῇ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ μάχῃ) armis spoliatis Salamine clypeis armarint. Jam vero, quum archon Demonicus in fastis non reperiatur, quem in aetatem Philipp. referendum Nausiclis, Charidemi, Diotimi, celeberrimorum ejus temporis imperatorum, nomina demonstrant cf. Winiewski l. l. p. 306. Boeckh. de arch. pseudepon. p. 135, cui anno assignandus videatur, quaerendum. Et secundo quidem Olympiadis anno, cujus m.

Boedromionem priori decreto praescriptum invenimus, lata videri psephismata, ingeniose, ut solet, inde collegit Boeckh. l. l., quod in altero decreto non solum in Dionysiis, verum etiam in magnis Panathenaeis coronae renuntiandae dicuntur. Magna vero Panathenaea, quum acta sint m. Hecatombaeone tertio cujusque Olympiadis anno, neque haec psephismata probabile sit longe praecessisse magna Panathenaea, Boeckhius archontem Demonicum in secundum Olympiadis annum referendum censuit. De Olympiade statuit, commodissimum videri annum Ol. CVI. 2, nam superiore anno Chios Rhodios Byzantios vastasse Lemnum Imbrum alias insulas Diod. XVI. 21, mox Athenienses de Lemno Imbro Scyro ob Philippum sollicitos fuisse, paullo antequam in Euboeam et Olynthum expedirent, Dem. c. Neaer. p. 1346; itaque probabile esse, Ol. CVI. 2. Atticos praesidiarios fuisse in Imbro et Salamine, quamobrem Demonicus archon referendus sit in Ol. CVI. 2, archonte Callistrato in prytaniam tertiam.

Quod tamen de sollicitudine Atheniensium ante bellum Euboicum et Olynthicum statuit Vir Egr., quum non Ol. CVI. 2. sed Ol. CVII. 2. bellum Olynthicum et Euboicum exarsisse, Boehneck. demonstraverit, non Olympiadem centesimam sextam sed septimam commendat, et quum in altero decreto, ambo enim in eundem annum pertinere sponte patet, mentio fiat pugnae ad fluvium, ut videtur, Salaminium, quae pugna solummodo potest referri in eos annos, quibus aperte inter Athenienses et Philippum bellum gestum est, i. e. inde ab Ol. CVI. 4 — CVIII. 2 (quod de Megarensibus conjecit Winiewski, satis refutavit Boehneck. l. l. p. 286), Nausiclem verisimile est in Imbro fuisse cum Atticis praesidiariis non ad sociorum

tunc rebellantium depraedationes repellendas Ol. CVI. 1, sed propter perpetuas Philippi insidias et vexationes Ol. CVII. 1, quarum copiose meminit prima Phil.

Priore igitur decreto mentio fit militum praesidiariorum in Imbrum insulam duce Nausicle expeditorum; et hiemasse videtur Nausicles in hac insula, quum tempestatibus (*διὰ τοὺς χειμῶνας*) Philo impeditus dicatur, quominus ad stipendia militibus largienda navigaret. Hieme Nausicles militibus stipendia erogavit postea, quum Athenas rediisset, liberaliter reipublicae condonata. Quodsi Panathenaeorum in posteriore decreto mentio etiam priori alterum Olymp. annum vindicat, statuendum est, Nausiclem Ol. CVII. 1. in Imbro fuisse, cujus hieme stipendia largitus sit. Superiore enim anno Phocensibus cum quinque millibus peditum et quadringentis equitibus opem tulit. [1]) —

---

[1]) Egregie de his decretis disputavit Winiewski l. l. p. 314. sqq., arch. Demonicum in Ol. CVII. 2. referens; Boehneck. contra praetulit Ol. CVIII. 2. Quum tamen Philippi in Chersonesum expeditionem, quam in Ol. CVII. 4. refert Vir D., jam ante prius bellum Chalc. factam demonstraverimus, hanc vero in eosdem annos pertinere, quibus Philippus insulas quoque Athen. vastavit, prima Phil. doceat, quippe quae omnium illarum depraedationum mentionem inferat, probabile est, insularum vexationes pertinere in Ol. CVII. l. 2. Non equidem postea quoque Philippum Athenienses vexasse negem (cf. Aesch. f. leg. §. 12), attamen Ol. CVIII. I, quo anno Atheniensium exercitus in ipsa Thracia fuere, in Atticam invasisse Macedones, atque in Salaminem Atticae vicinam impressionem facere conatos esse, nego ac pernego. Diserte enim ait Dem. f. leg. §. 315, Philippum quum Atheniensium praedones regnum infestarint, emporia portusque clauserint, de pace ineunda egisse. Primum vero de pace facienda egit per Euboensium legatos Ol. CVII. 4. exeunte, deinde capto Phrynone insequentis anni initio per Ctesiphontem, quem Phrynoni

Philippum primae Philippicae aetate jam progressus fecisse captis aut societate junctis aliquot civitatibus, quum aliunde notum sit, tum ex ipsa oratione intelligitur §. 4 sqq. „εἰ δέ τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθην., δυσπολέμητον οἴεται τὸν Φίλιππον εἶναι, σκοπῶν τό τε πλῆθος τῆς ὑπαρχούσης αὐτῷ δυνάμεως καὶ τὸ τὰ χωρία πάντα ἀπολωλέναι τῇ πόλει, ὀρθῶς μὲν οἴεται, λογισάσθω μέντοι τοῦθ', ὅτι εἴχομέν ποτε ἡμεῖς ὦ ἄνδρ. Ἀθ., Πύδναν καὶ Ποτίδαιαν καὶ Μεθώνην καὶ πάντα τὸν τόπον τοῦτον οἰκεῖον κύκλῳ, καὶ πολλὰ τῶν μετ' ἐκείνου νῦν ὄντων ἐθνῶν αὐτονομούμενα καὶ ἐλεύθερα ὑπῆρχε καὶ μᾶλλον ἡμῖν ἐβούλετ' ἔχειν οἰκείως ἢ κείνῳ. — ἀλλ' εἶδεν, ὦ ἄνδρες Ἀθ. τοῦτο καλῶς ἐκεῖνος, ὅτι ταῦτα μέν ἐστιν ἅπαντα τὰ χωρία ἄθλα τοῦ πολέμου κείμενα ἐν μέσῳ — καὶ γάρ τοι ταύτῃ χρησάμενος τῇ γνώμῃ πάντα κατέστραπται καὶ ἔχει, τὰ μὲν ὡς ἂν ἑλών τις ἔχοι πολέμῳ, τὰ δὲ σύμμαχα καὶ φίλα ποιησάμενος.

---

redemptionis pretium recepturo legatum adjunxerant Athen. Aesch. l. l. §. 12 sqq. Quod si verum est, Philippum, quo tempore de bello componendo cum Athen. egit Ol. CVIII. 1, in summas angustias redactum ipsam Atticam invasisse non verisimile est. Nostrae sententiae de insularum depraedationibus et duobus illis decretis, quid obstet, non videmus. Quod enim Nausiclem Ol. CVII. 1. in Imbro fuisse videri statuimus, Diodorus quidem eum narrat Ol. CVII. 1. Phocensibus auxilio missum; pertinet tamen haec Nausiclis profectio, quum ante Philippi ad Thermopylas repressionem posuerit Diod., haec vero, ut vidimus, in Ol. CVI. 4. referenda sit, in quartum annum Olymp. CVI. Et Charidemus, ut videtur, Orita, quem civem fecerant Athen., quum d. XXVI. m. Boedromionis corona decreta sit, paullo post certe eodem mense, ut intelligitur ex Dem. Olynth. III. §. 5., in Hellespontum abiit.

Hic quae memorantur Pydna et Methone, Philippus antequam bellum Olynthicum exarsit, subegit Diod. XVI. 8, 34, Potidaea, quae secundo loco numeratur, quo tempore subacta sit, incertum. Certe quod Boehneck. hanc urbem tertiae Olynthiacae aetate Olynthiorum fuisse ex or. l. p. 20 collegit, quum nihil tale inde eliciamus, nobis non persuadetur: contra verisimile putamus statim belli Chalcidici initio, quam urbem societatis pignus Olynthiis tradiderat (Dem. Olynth. II §. 7. Phil. II §. 20 Diod. XVI. 8.), Philippum expugnasse. Ceterum facile intelligitur, hoc loco oratorem Macedonum potestatem supra verum exaggerasse, quum totum illum tractum in semicirculo circumjacentem primae Phil. aetate non tenuisse Macedones, vel inde pateat, quod Olynthum, potentissimam ejus regionis civitatem, tunc nondum subactam fuisse ex ipsa oratione §. 17. cognoscimus. Intelligendas puto Amphipolim, Crenidas sive Philippos [1]), aliasque ejus orae Thracicae usque ad Chersonesum urbes, quarum situm orator respiciens dixerit *καὶ πάντα τὸν τόπον τοῦτον — κύκλῳ.*

Vexasse tunc Philippum Anthenienses, quum copiosius Dem. posteriore orationis parte exponat, initio (Phil. I §. 9.) innuit hic verbis „*καὶ οὐχ οἷός ἐστιν ἔχων ἃ κατέστραπται μένειν ἐπὶ τούτων, ἀλλ' ἀεί τι προσπεριβάλλεται καὶ κύκλῳ πανταχῇ μέλλοντας ἡμᾶς καὶ καθημένους περιστοιχίζεται.*" Ut enim venatores cassibus irretiunt feras, sic. Philippus undique Atheniensibus insidias struit. Intelligendae sunt perpetuae, quarum posterior orationis pars meminit, navium insularumque

---

[1]) Diod. XVI. 8.

depraedationes. Fueritne vero Philippus, quo tempore ita Athenienses vexavit, in ipsa Macedonia, ut mirum in modum hinc sibi colligere visus est Boehneck. l. l. p. 243, quum non ipse insidiando et depraedando quietos Athenienses vexarit, sed qui naves insulasque diriperent, emiserit, non liquet.

In ipsa urbe tunc regem aluisse factionem, ex orat. l. patet §. 18. *εἰσὶ γάρ, εἰσὶν οἳ πάντ' ἐξαγγέλλοντες ἐκείνῳ παρ' ἡμῶν αὐτῶν πλείους τοῦ δέοντος*, fuerunt saltem, qui omnia civium consilia ad eum deferrent. Boehneckeus l. l. p. 244. oratorem his verbis credens cavillari Neoptolemum histrionem, idcirco quum Dem. de pace §. 6. dicat, se Neoptolemum proditionis accusasse post bellum Euboicum, orationem referendam censet in Ol. CVII. 4. Attamen non modo qui homines a Philippo corrupti hoc loco intelligendi sint, incertum est, sed etiam quo anno Dem. Neoptolemum accusarit. Ait enim Dem. se primum bellum Euboicum tanquam inglorium et invidiosum dissuassisse, deinde Neoptolemum, qui regi omnium rerum perficiendarum Athenis auctor extitisset, proditionis accusasse. Sed quando hoc factum sit, quum ex orat. l. id unum intelligatur, accusasse Dem. Neoptolemum post belli Euboici initium, quo tamen anno definitum non sit, incompertum; ut temere Boehneck. hoc statim post bellum Euboicum retulisse, atque inde absurde de aetate primae Phil. argumentum repetiisse videatur. Equidem Neoptolemum accusatum existimem Ol. CVIII. anno primo aut secundo; quae tamen actio *προδοσίας* ne cum illis verbis in prima Phil. confundatur, magnopere cavendum. — Athenienses primae Philippicae aetate in summis angustiis fuisse, ut neque stipendium nec frumentum militibus prae-

beri posset, declarant Dem. verba §. 23 *οὐ γὰρ ἔστι μισθὸς οὐδὲ τροφή.* Obtinuit haec inopia, ut supra vidimus, belli Olynthici et Euboici tempore, quo Apollodorus rogationem de pecuniis theatralibus in militares commutandis ad populum tulit.

Quod milites mercenarii bella gerant Atheniensium, neque his civium pars tanquam rerum gerendarum testis ac judex adjungatur, vehementer vituperat Demosthenes; imperatores enim neque quomodo res postulent, agere posse, et ad stipendia comparanda militum voluntati obsequentes nova bella quaerere coactos esse, milites vero, ut impunitatem assequantur, domi accusare imperatores. Dem. Phil. I §. 24 sq. Exemplum affertur Charetis (cf. schol. Aug. ad 45, 12. R.), qui quum Ol. CVI. 1, ut stipendia militibus compararet, rempublicam vero impendiis liberaret, Artabazo satrapae rebellanti cum tota classe contra regem opem tulisset, postea ubi Persarum rex de Charetis facinore conquestus Chios sese Rhodios ceterosque socios tunc seditiosos adjuturum minatus erat, domum revocatus, et, ut ex prima Phil. l. l. elucet[1]), in judicium vocatus est. Cf. Dem. Olynth. II §. 28 sq. Patrocinatur quodammodo Dem. Chareti, quod propter stipendiorum inopiam bella Atheniensium negligere ac nova suscipere coactus fuerit. Accusatum vero verisimile est Charetem statim post reditum Ol. CVII. 1.

---

[1]) Dem. Phil. I, §. 24. *ἐξ οὗ δ' αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ ξενικὰ ὑμῖν στρατεύεται, τοὺς φίλους νικᾷ καὶ τοὺς συμμάχους, οἱ δ' ἐχθροὶ μείζους τοῦ δέοντος γεγόνασιν. καὶ παρακύψαντα ἐπὶ τὸν τῆς πόλεως πόλεμον πρὸς Ἀρτάβαζον καὶ πανταχοῖ μᾶλλον οἴχεται πλέοντα, ὁ δὲ στρατηγὸς ἀπολουθεῖ εἰκότως· οὐ γὰρ ἔστιν ἄρχειν μὴ διδόντα μισθόν.* cf. Olynth. II, §. 28.

Cum hoc judicio non confundendum (saepius enim accusatus est Chares), quod propter bellum Olynthicum male gestum institutum ex Aristotele cognoscimus. Ait enim hic in Rhetor. III 10. analogiae, quam dicunt, exempla afferens, (exscripsit locum Dion. Epist. ad Amm. p. 734.) „*καὶ Κηφισόδοτος σπουδάζοντος Χάρητος εὐθύνας δοῦναι περὶ τὸν Ὀλυνθιακὸν πόλεμον ἠγανάκτει, φάσκων εἰς πνῖγμα τὸν δῆμον ἀγαγόντα τὰς εὐθύνας πειρᾶσθαι διδόναι οὕτως.*" Hoc bellum Olynthicum contendit Boehneck. l. l. p. 248 cf. 246, fidem habens scholiastae, qui ad haec verba Dem. §. 46 „*ὅταν γὰρ ἡγῆται μὲν ὁ στρατηγὸς ἀθλίων ἀπομίσθων ξένων, οἱ δ' ὑπὲρ ὧν ἂν ἐκεῖνος πράξῃ πρὸς ἡμᾶς ψευδόμενοι ῥᾳδίως ἐνθάδ' ὦσιν*" adnotavit „*ταῦτα πρὸς Κηφισόδοτον αἰνίττεται*" schol. Aug. p. 125 R., prius esse bellum Chalcidicum Ol. 107¾ gestum, ut rationes muneris gesti redditae videantur finito bello Chalcidico Olymp. CVII. 4, quo anno Athenienses Olynthiis auxilio expediti domum redierunt. Attamen si recte statuit Vir D., Athenienses Charetem, qui belli male gesti paullo ante accusatus erat, eodem anno iisdem Olynthiis auxilio miserunt, quod credi nullo modo potest. Quo accedit quod in summo periculo tunc fuerunt Athenienses, ut Chares dicatur populum in furnum (*εἰς πνῖγμα*) duxisse; hoc vero quum priore bello Chalcidico nequaquam factum sit, quippe quo felici successu pugnasse Athenienses duce Charete ex Theop. eluceat (ap. Athen. XII. p. 532. D. E.), necessario statuendum, Cephisodotum de altero bello Chalcidico dixisse, quo in pessimum res se converterant.

Majorem tamen veri speciem prae se ferunt, quae Boehneckeus l. l. p. 249. de variis rumoribus disserit

primae Philippicae aetate dissipatis, quorum meminit orator his verbis Phil. I §. 48. „*ἡμῶν δ'οἱ μὲν περιόντες μετὰ Λακεδαιμονίων φασὶ Φίλιππον πράττειν τὴν Θηβαίων κατάλυσιν καὶ τὰς πολιτείας διασπᾶν, οἱ δ'ὡς πρέσβεις πέπομφεν ὡς βασιλέα, οἱ δ'ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις τειχίζειν, οἱ δὲ λόγους πλάττοντες ἕκαστος περιερχόμεθα. ἐγὼ δ'οἶμαι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς θεοὺς ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων,*" quos rumores de Thebanis dissolvendis, liberis civitatibus divellendis, bello regi Persarum indicendo, muris in Illyria aedificandis oppidisque muniendis, non fortuitos fuisse, ut asseverat Demosthenes omnem iis abrogans fidem [1]), sed consulto, quo gratum faceret Atheniensibus, a Philippo tunc dispersos, docet Justinus, qui postquam Macedonum ad Thermopylas repressionem, multasque Philippi contra socios hospitesque injurias retulit, VIII. 3. „Inde, ait, veluti rebus egregie gestis in Cappadociam trajicit: ubi bello pari perfidia gesto, captisque per dolum et occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniae adjungit. Deinde ad abolendam invidiae famam, qua insignis praeter ceteros tunc temporis habebatur, per regna mittit et opulentissimas civitates, qui opinionem sererent, regem Philippum magna pecunia locare et muros per civitates et fana et templa facienda; et ut per praecones susceptores sollicitarent. Qui quum in Macedoniam venissent, variis dilationibus dilati, vim regiae majestatis timentes, taciti proficiscebantur. Post haec Olynthios aggreditur." Misit igitur Philippus, postquam apud Thermopylas rejectus est, per civitates qui susceptores ad

[1]) Dem. I. l. §. 49.

muros, fana templaque aedificanda invitarent; quae narratio quum aperte respondeat verbis oratoris „ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις τειχίζειν," reliquos quoque rumores consulto dissipatos manifestum. Et quod de Thebanis affert Demosthenes, posteriore tempore saepius memoratur. Aeschines enim legatus apud Philippum de Thebanis deprimendis disseruisse fertur, dixitque, non Thebas esse Boeotiam [1]), sed Thebanos Boeotos existimandos, et Diodorus Philippum perhibet, quum auxilium Boeoti rogassent, gavisum fuisse afflictis eorum rebus, quod Leuctrica superbia restringeretur (ὁ δὲ βασιλεὺς ἡδέως ὁρῶν τὴν ταπείνωσιν αὐτῶν καὶ βουλόμενος τὰ Λευκτρικὰ φρονήματα συστεῖλαι τῶν Βοιωτῶν) .XVI. 58. Verum haec quum acciderint Ol. CVIII., neque ut Boehneck. opinatur Ol. CVII. 4., cum rumoribus, quorum Demosthenes et Justinus meminerunt, confundi nequeunt.

In Cappadociam igitur Philippum trajecisse refert Justinus, qua provincia subacta miserit per opulentissimas civitates, qui rumores de muris aedificandis sererent. In Cappadociam tamen nunquam penetravit Philippus; solus hanc expeditionem memorat Justinus, neque huic ea auctoritas, ut ejus narrationi fidem habentes omnia aliunde certa destruamus, ac Demosthenem, quamvis saepius Philippi facinora numerarit, arbitremur felicissimae hujus invasionis, qua totam Cappadociam subegerit, oblitum esse. Corrigendum putarunt omnes, et pro „Cappadocia" aut Thraciam aut Cassopiam aut denique, quod maxime in

---

[1]) Aesch. περὶ παραπρ. §. 125. ἐγω γὰρ παρὰ Φιλίππῳ μὲν ὧν ἠξίωσα, πρὸς δ' ὑμᾶς ἦκων ἀπήγγελλον, ὅτι τὰς Θήβας Βοιωτίαν δίκαιον ἡγοίμην εἶναί καὶ μη τὴν Βοιωτίαν Θήβας.

promptu videtur, Chalcidicen scribendum. Attamen Chalcidice, quam emendationem amplexi sunt Voemel. [1]), Boehneck., alii, ferri nequit. Primum enim offendit, quod Justinus, quo pedestri itinere penetravit nullis trajectis montibus, mari aut fluminibus nullis, Philippum trajecisse ait: quod vocabulum, si de itinere in Cappadociam facto sermo esset, usitatum foret, si Chalcidicen scribas, vix locum tuetur, neque apud Justinum, neque apud alium auctorem tam inusitatae dictionis exemplum repperi. Deinde Justinus Chalcidicen provinciam dicit, nunquam vero, quoad ego sciam, haec vox Chalcidices ita usurpata est, ut ad totam peninsulam Thraciam pertineat. Tum, qui antea totam provinciam subactam scripsit, si „Chalcidicen" restituendum esset, paullo post, quod ineptum videtur, cum ejusdem provinciae potentissima civitate Philippum dimicasse diceret. Postremo quid sibi volunt illi finitimi reges, quos aut ceperit Philippus, aut per dolum occiderit? In Chalcidice nullos fuisse finitimos reges, vel is concedet, qui hujus peninsulae historiam vix obiter tetigerit: totus enim tractus jam bello Peloponnesiaco Macedonibus subjectus fuit exceptis oppidis Graecis; et expressis verbis ait Xenophon, Thraces Chalcidensibus finitimos regibus non paruisse „*ἀλλὰ μὴν καὶ γείτονές εἰσιν αὐτοῖς Θρᾷκες οἱ ἀβασίλευτοι*" Hell. V. 2. §. 17.

Haec igitur emendatio, quam non solum accepit Boehneck., sed qua pro re certa in argumentando uti non dubitavit, quum probari non possit, ad aetatem illorum rumorum constituendam nulli auxilio. Accipiamus idcirco Justini

---

[1]) Voemel. l. l. p. 93.

locum, ut omnes eum exhibent libri: primum memoratur Philippi adversus Pylas expeditio, et post hanc mentio infertur sociorum crudelissime tractatorum, subactae Cappadociae, variorum rumorum consulto dissipatorum: postremo Olynthiis perhibetur Philippus arma intulisse, ut omnia haec accidisse videantur ante bellum Chalcidicum statim post expeditionem Pylensem Olymp. CVI. 4., aut Ol. CVII. anno primo aut secundo.

Quum vero Justinum, quae post expeditionem adversus Thermopylas exposuit, et inprimis, quae de subacta Cappadocia conscripsit, prorsus confinxisse credibile non sit, contra omnia haec mirum in modum congruant cum rumoribus, quorum mentionem injicit prima Philippica, atque aperte, quae de Cappadocia narravit, spectent ad ea, quae Demosthenes de bello Persarum regi inferendo memoravit: ad eam sententiam adducimur, ut Trogum Pompejum, ex quo omnia excerpsisse Justinum notum est, male intellexisse arbitremur Theopompum, unde ejus historia fluxit, et cum hic Philippo in animo tantummodo fuisse scripsisset Persarum regi bellum inferre, Trogum Pompejum haec pro rebus gestis accepisse et retulisse, ac Justinum, Trogum Pompejum secutum, simili errore lapsum esse. Emendandum vero non esse Justinum, neque expeditionem in Cappadociam susceptam librariorum incuriae tribuendam, vel id evincit, quod Orosius, qui initio quinti post Christ. n. seculi historias suas adversus paganos compilavit, eandem quam Justinus Philippi in Cappadociam invasionem his verbis memorat III, 12. „Post haec in Cappadociam transiit, ibique bellum pari perfidia gessit, captos per dolum finitimos reges interfecit, totamque Cappadociam imperio Macedoniae subdidit." Unde intelligitur, jam eo

tempore, quo haec deprompsit Orosius, apud Justinum ita scriptum fuisse, ut hodie scribitur et scribendum est. Quam meam de Trogo Pompejo sententiam ne quis nimis temerariam dicat, adscribere juvat egregium Westermanni de hoc scriptore judicium. „Haec, ait, sufficiunt ad demonstrandum, quantum distet a Diodoro Justinus, quamque parum fidei huic habendum sit; quippe non solum res ipsas miserrime concidit et in nihil paene contrahit, verum etiam seriem earum atque ordinem mirifice conturbat. Et hoc quidem ita comparatum est, ut non solum epitimatori, licet satis inepto . . . . . debeatur, verum ipsi Trogo Pompejo imputandum esse videatur, quem aut ut Romanum *Graeca non satis intellexisse*, aut quod proprius a veritate abest, rei magni animi et corporis imparem hic illic per errorem lapsum esse oportet." Quaest. Dem. IV. p. 18.

Quum Philippum ante bellum Chalc. rumores de bello Persis indicendo aliosque dissipasse cognoverimus, num quae ante bellum Chalc. inimicitiae Philippum inter et Persas causae extiterint, ut qui tunc de bello inferendo rumores percrebuissent, fidem facerent, non inutile videtur perquirere. Et innuit hoc, ni ratio nos fallit, Diodorus. Qui enim antea rebellaverant satrapae, Artabazus et Memnon, tum ex Asia profugi apud Philippum in Macedonia morati, venia impetrata ab Artaxerxe revocati perhibentur Ol. CVII. 4. Diod. XVI. 52, ut non improbabile sit, Artabazi et Memnonis exilium inimicitiae inter Philippum et Persas tunc fuisse causam, ac fidem fecisse rumoribus de bello Persarum regi indicendo. Fuerunt vero exules in Macedonia ante prius bellum Chalc., ut patet ex Diod. l. l., et reconciliatio regis quum facta feratur Ol. CVII.

4, consequens est errasse Boehneck. p. 249. 250, qui primam Phil. hoc anno habitam esse contendit. Nam si recte de rumoribus illis statuimus, oratio, quae eorum meminit, nullo modo habita esse potest, quo anno inimicitiae nulla jam causa fuit.

Quocunque igitur modo horum rumorum primae Phil. aetate per omnes Graeciae civitates pervulgatorum aetatem constituere conati sumus, ante bellum Chalcidicum eos percrebuisse invenimus.

Boehneck. tamen non solum ad rumorum illorum aetatem quaerendam adhibuit infirmam conjecturam tanquam indubitatam lectionem (quamvis ne ita quidem Justino ut epitimatori fidem haberem), sed etiam quo loco de Menelao disputavit hipparcho l. l. p. 246, prorsus oblitus videtur, apud Justinum longe aliter scriptum esse, quam ipse locum in usum vocare non dubitavit.

Menelai vero in prima Philipp. mentio §. 27, quum, ut autumat Boehneck., orationem in quartum Olymp. annum referendam evincat, quid ad rem afferat, jam paucis demonstremus. Menelaus hipparchus teste Harpocratione (s. v. *Μενέλαος, Δημοσθένης Φιλιππικοῖς, ἀδελφὸς Φιλίππου ὁμοπάτριος*) frater fuit Philippi eodem patre natus, qui insidias fratris metuens ad Olynthios confugit, et liberaliter hospitio exceptus est. En Justini verba VIII. 3. „Post haec Olynthios aggreditur: receperant enim post caedem unius, duos fratres ejus, quos Philippus ex noverca genitos veluti participes regni interficere gestiebat." Hujus Menelai exulis receptio quum debellandorum Olynthiorum teste Justino causa fuerit, bellum vero Olynthicum antecesserit Philippi in Chalcidicen expeditio, consequi putat Boehneck., Menelaum demum post

Chalcidicen subactam brevi ante ipsius Olynthi eversionem ex Macedonia Athenas, ut ex Demosthene intelligitur, confugisse. Idcirco orationi Menelai exulis mentionem inferenti Vir D. quartum annum Olymp. CVII. attribuendum censet. Attamen quum apud Justinum nulla memoretur expeditio in Chalcidicen sed in Cappadociam, omnia quae disseruit Vir D., concidunt.

Quod deinde Boehneck. l. l. p. 247 Philippi epistolam (cf. Phil. I §. 37), qua teste scholiasta Euboensibus dissuaserit [1]), ne Atheniensium, qui se ipsos tueri non possent, societatem peterent, referendam censet in Ol. CVII. 4, quum verisimile non sit, Philippum tale quid minatum esse quo tempore ipse pacis faciendae cupidissimus fuit, ipsum tamen Ol. CVII. 4 exeunte per Euboensium legatos de pace cum Athen. ineunda egisse ex Aesch. f. leg. §. 12 intelligamus, nobis non persuasit; putamus contra epistolam referendam in Ol. CVII. 2 quum exorto bello Euboico Atheniensium societatem peteret Plutarchus Eretriensis.

Accuratius tamen agendum de rumore primae Phil. aetate pervulgati, quem orator memorat his verbis (Phil. I. §. 10.) „*ἦ βούλεσθε εἰπέ μοι, περιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι· λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκε Φίλιππος; οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ἀσθενεῖ; τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗ-*

[1]) Schol. August. ad Dem. Phil. I, 51. 3. (Vol. II, p. 124R.) *ὁ σκοπὸς τῆς ἐπιστολῆς ἐστιν οὗτος. ὁ Φίλιππος ἐπέστειλεν Εὐβοεῦσι συμβουλεύων, μὴ δεῖν ἐλπίζειν εἰς τὴν Ἀθηναίων συμμαχίαν, οἳ οὔτε αὐτοὺς δύνανται σώζειν.*

[2]) Dem. Phil. I, §. 38.

τός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φέλιππον ποιήσετε, ἄν περ οὕτω προσέχητε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν."

Aegrotavit vero Phil. in obsidione Heraei castelli Ol. CVII. 1, cujus morbi nuntius Athenas pervenit m. Maemacterione Dem. Olynth. III. §. 4; neque insequenti anno m. Boedromione morbo recreatum fuisse, inde colligimus, quod propter regis morbum, ut ait Dem., tunc magnum apparatum non opus arbitrati sunt. Negat tamen Boehneck, haud ignarus, si intelligendus sit morbus ille, cujus meminit tertia Olynthiaca, primam quoque Phil. ab Ol. CVII. 1, quo in morbum incidit rex, non posse longe removeri (Boehneck. l. l. p. 261), omnes interpretes recte locum explicare, et hanc difficultatem ita expedire conatus est, ut novam constitueret Methonen veteribus ignotam, Thracicam sive Chalcidicam, in cujus obsidione regem vulneratum censet Ol. CVII. 4.

Quod dixi Methonen Thracicam veteribus ignotam fuisse, non ita accipiendum, ut Methonen Thracicam vocari negem: verum ubi occurrit Methone Thracica, eadem est, quae alias vocatur Macedonica, Eretriensium colonia. Nam quod Strabonem IX. p. 436 Boehneck. l. l. p. 207. putat Methonen Thracicam distinguere a Macedonica, aperte fallitur, quum Macedonicam intelligendam esse inde eluceat, quod Strabo eversam eam ait a Philippo (*ἡ μὲν οὖν Μεθώνη* (*ἡ ὑπὸ Φιλοκτήτῃ*) *ἑτέρα ἐστὶ τῆς Θρᾳκίας Μεθώνης, ἣν κατέσκαψεν Φίλιππος*). Et Macedonicam quidem Methonen, in cujus obsidione altero oculo privatus est Strab. Epit. VII. p. 330, VIII. p. 374, evertisse Philippum, quum exponat Diod. XVI. 34, tum diserte testatur Eustath., simul Philippi vulnerationem ad Methonen Thracicam referens „*ἄλλως δὲ ἀριθμοῦσι τρεῖς Μεθώνας,*

λέγοντες ὅτι Μεθώνη Φιλοκτήτου ἑτέρα τῆς Θρᾳκίας Μεθώνης (cf. Steph. s. v.) *ἣν κατέσκαψε Φίλιππος. ἔνθα δηλαδὴ καὶ ὁ Ἄστηρ στρατιώτης οὕτω καλούμενος τοξεύσας ἔβλαψε τὸν Φίλιππον εἰς ὀφθαλμόν.* Eust. ad Il. II. v. 716 (p. 266 ed. Lips.). Quodsi de Thracica Methone idem narratur, quod de Macedonica multorum scriptorum auctoritate constat, manifestum est errare, qui distinguant inter Methonen Thracicam et Maced., quippe quae, quum Thraciae nomen antiquis temporibus latissime patens ad totam Macedoniam pertinuerit, eodem jure Thracica dici potuerit. Neque Stephanus, qui multa confudit, et interdum oppida constituit, quae nisi in ipsius cerebello nusquam extiterunt, et hac quoque in re pessime lapsus deprehenditur, Thracicam novit Methonen, quam invenisse sibi videtur Boehneck. „*Μεθώνη*, ait, *πόλις Θρᾴκης. Ὅμηρος διὰ τοῦ ᾱτα· οἳ δ' ἄρα Μηθώνην καὶ Θαυμακίην ἐνέμοντο.* Habet sane Methonen Thrac., opinatur tamen apud Homerum Il. II. 716 Methonen Thracicam memorari, quam non esse Thraciae, sed Thessaliae sive Philoctetae Methonen, conjunctio hujus Methones cum Thaumacia Thess. demonstrat. Praeter hanc Methonen Thessalicam affert Methonen Maced., Lacedaemoniam, Persicam.

Nititur haec Boehneckei opinio testimonio Callisthenis, qui Philippum narrat eversis triginta duobus oppidis Chalcidicis Olynthios et Methonaeos aggressum, quum Sardonem trajiceret, oculo privatum esse ab Astere. Asterem ait telum missurum pronuntiasse hunc versum:

Ἄστηρ Φιλίππῳ θανασιμὸν πέμπει βέλος.

Callisth. ap. Stob. VII. p. 92. cf. Pseudo-Plut. Parall. VIII. Unde elucere putat Vir D., quum Methones Mac.

eversio teste Diodoro bellum Chalcidicum antecesserit, hoc vero loco Methonen medio bello Chalcidico aggressus dicatur Phil., distinguendum esse inter illam et inter Methonen, quam Callisthenes conjunctim cum Olyntho memorarit. — Sed quum hic locus ita comparatus sit, quippe Aster tanquam histrio trimetrum iamb. pronuntiasse fertur, ut fidem non faciat, tum Callistheni, quem in commentariis historicis somniasse, et quodam quasi furore correptum insaniisse arguit Timaeus apud Paus. XII. 12. 13, omnem fidem abrogandam censemus. Nam etsi vituperat Paus. Timaei judicium, quod in eadem vitia, quae in Callisthene reprehenderit, ipse quoque inciderit, nulla tamen extat causa, cur judicio diffidamus.

Praeferimus Callistheni Strabonis auctoritatem, qui Phil. refert in obsidione Methones Maced., haud procul a Pydna distantis, telo catapultario percussum alterum oculum amisisse, et quum haec Philippi vulneratio longe praecesserit bellum Chalc., hujus vero belli tempore dictam esse primam Phil. sponte pateat, conturbasse putamus Callisthenem rerum gestarum ordinem ac seriem. Explosa igitur inani Boehneckei suspicione, quum alia non acciderit regis ante bellum Chalc. valetudo, quam quae ex ipso Demosthene intelligitur, consequens est, in prima Phil. intelligendum esse eum morbum, in quem ad Heraeum cast. incidit.

Restat, ut Ulpiani judicium de l. l. Demosthenis afferamus, qui ad Phil. I. §. 11. „*τέθνηκε Φίλ.*" etiam hinc, ait, argumento sumpto dicunt, hanc primam esse orationem, *καὶ γὰρ ἡ ἀσθένεια Φιλίππου πρὸ τῆς πολιορκίας Ὀλύνθου.* Fuerunt igitur, qui quod morbum Philippi memoraret, primam Phil. aetate omnium oratt.

Phil. (Philippicae etiam vocantur tres Olynthiacae) primam dicerent; et quod Ulpian. l. l. eorum sententiam idcirco rejicit, quod exempli vice Dem. hominum otiose in foro volitantium de Philippo aegrotante aut mortuo sermones adhibuerit, quamvis regis valetudo orationis aetatem praecesserit, respondemus etsi oratori licuerit, civium stultitiam et socordiam etiam posteriore tempore vituperare, cogitari tamen non posse, si longe ille morbus praecessisset, tam vividis eum coloribus cives sermocinantes descripturum fuisse, et, quod est gravissimum, si orationis aetate Athenienses abjecta omni socordia et negligentia strenue res capessivissent. Quod quomodo ii, qui cum Boehneck. orationem in Ol. CVII. 4 referunt, expedire velint, ego non video.

Omnia igitur, quae huc usque persecuti sumus [1]), quum non in quartum annum Ol. CVII, ut contendit Boehneck., sed ante bellum Chalcidicum Ol. CVII. 2 extr. exortum referenda videantur, satis refutatur Viri Doctissimi sententia, qui quum orationes Olynth. priori bello Chalc. assignasset, primam Phil., ut scholiastae docuerunt schol. Bav. p. 43 (R), habitam censuit Ol. CVII. 4, quod omnes quae in oratione memorarentur res gestae, extremum annum Ol. CVII. postularent. De orationum Olynth. aetate quid statuendum, supra exposui, quae si Ol. CVII. 4 et Ol. CVIII. 1. habitae sunt, prima Phil. nullo modo iisdem annis locum invenit. Etenim qui in

[1]) Ex multis argumentis quae congessit Boehneck. ad sententiam suam de prima Phil. defendendam, quae ad aetatem orationis constituendam aliquid afferre videbantur, elegimus, cetera omisimus, quae refutarentur parum digna. Ordinem, quo argumenta disposuit Vir D., quoad fieri potuit, retinuimus.

orationibus Olynth. auxiliandum censet Olynthiis, in prima Phil. prope nullam sociorum rationem habens, ut antequam aliis succurrant, ipsi rem militarem melius instituant, hortatur. Deinde qui in prima Olynth. duos exercitus (ut in Phil. I.) docet comparandos, et ex ipsis civibus milites conscribendos Olynth. I. §. 28, in prima Phil., quam Boehneck. Ol. CVII. 4 extr. dictam autumat, suadet, ut paucos tantum cives tanquam rerum gerendarum testes ac judices militibus mercenariis adjungant; neque tamen verisimile est, quum plures virium contentiones flagitarent tempora, minores postulaturum fuisse oratorem. Tum, vituperat enim Dem. Phil. I. §. 23 sqq. Athenienses, quod milites mercenarii ipsorum bella gerant, neque ipsorum pars naves conscendat (l. l. §. 44 *οὐκ ἐμβησόμεθα; οὐκ ἔξιμεν αὐτοὶ μέρει γέ τινι στρατιωτῶν οἰκείων νῦν, εἰ καὶ μη πρότερον;*), apertum est orationem nullo modo habitam esse posse, postquam ipsi cives Euboensibus auxilio profecti sint, quod quum factum constet Ol. CVII. 3. vere aut hieme, hujus orationis aetatem satis artis limitibus circumscriptam videmus, quippe quae bello Olynthico Ol. CVII. $^2/_3$ habita sit, neque post expeditionem Euboensium auxilio susceptam reprimi possit. Restat igitur tantum, quo tempore oratio locum habere possit, extremus annus Ol. CVII. 2. et initium insequentis anni. Tertium vero Olympiadis annum ut amplectamur, suadere videtur Panathenaeorum tanquam nuper actorum in prima Phil. mentio; ait enim Dem. or. l. §. 36 Panathenaeorum festum et Dionysia semper statis temporibus peragi, sive peritis cura obvenerit sive imperitis, in quae tantum pecuniae insumatur, quantum neque in unam expeditionem. Quum igitur magna Panathenaea in eos ipsos menses, de

quibus perpaucis in constituenda orationis aetate ambigitur, inciderint, verisimile est orationem, quae pecuniae in Panathenaea celebranda insumptae et praetorum pompas in foro ducentium meminit or. l. §. 26, habitam esse post acta magna Panathenaea Ol. CVII. 3. fortasse m. Metagitnione.

VITA.

Natus sum Rudolfus Otto Haupt die XVII. m. Septembris anno MDCCCXXIV Regiomonti Neo-Marchiae oppido patre optimo C. G. Haupt, Professore Regio gymnasii Regiomontani N. M., matre dilectissima Carolina e gente Nogier. Fidem confiteor evangelicam. Prima litterarum rudimenta domi a parentibus edoctus gymnasium adii Regiomontanum N. M. nono aetatis anno, singulas classes non cito percurrens, sed ingenii viribus paullatim crescentibus lente procedens. Et inter omnes, quae in gymnasiis doceri solent, disciplinas, quas Viri Doctiss. Arnold, Guiard, Pfefferkorn, Heiligendörfer etiamnunc tradunt, litteras Graecas et Latinas, quas in gymnasio illo pater dilectissimus tractabat, praecipuo amore amplexus philologiae me dare constitui.

Superato examine civibus Universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus sum die I. m. Novembris anno hujus seculi XLIII. Rectore C. Lachmanno, V. Ill., nomen professus apud Dieterici, tunc spectatissimi philosophorum ordinis Decanum Ill. Et scholis interfui per sex semestria et philologicis et philosophicis.

In litteris Romanis interfui praelectionibus Lachmanni V. Ill. de Catulli et Tibulli carmm. et de Horatii epistolis, Zumptii V. Ill. de Taciti annalibus, in Graecis litteris frequentavi Boeckhii V. Ill. scholas de Sophoclis Antigone, de Pindari carmm.; Lachmannum audivi Aeschyli Agamemnonem egregie interpretantem.

Artem metricam me edocuit Boeckhius, idem antiquitates Graecas et litterarum Graecarum historiam. De antiquitatibus Romanis Zumptium audivi summa doctrina disserentem.

Seminarii philologici exercitationibus inde a studiorum initio haud impigre interfui, Lachmanni acerrimum certissimumque judicium in explicando Horatio, suavissimum elegantissimumque Boeckhii in interpretando Sophocle, Euripide, Thucydide ingenium semper admiratus: in ordinariorum sodalium numerum receptus sum tertii semestris initio. Ex quibus exercitationibus multo majores quam ex scholis philologicis fructus mihi percepisse videor.

In litteris theotiscis audivi Lachmannum, Virum in his litteris unice versatum, grammaticam Germ. explicantem, et Guil. Grimmii interpretationi Hartmanni carminis epici Êrec interfui.

Historiam Germ. me edocuit Rankius V. Ill., ejusque de recentiores aevi historia praelectionibus interfui.

In philosophia denique primo semestri audivi Trendelenburgii, V. Ill. praelectiones de logica et insequenti semestri Gablerum V. Ill. eandem artem explicantem: quum vero animi vires tunc quaestionibus tam difficilibus impares viderentur, quinto demum et ultimo semestri ad haec studia redii, et Trendelenburgii praelectionibus de historia philosophiae et philosophicis, quas Vir Praecl. moderatur, exercitationibus interfui.

Postremo occasione data omnibus illis Viris Doctissimis, de studiis meis totaque vita meritissimis, publice gratias ago et ad cineres usque habebo.

THESES.

1. Demosthenes natus est Ol. 99. 4.
2. De proedris non contribulibus Boeckhii sententia ad Corp. Inscr. n. 90. probanda.
3. „Quicunque post hanc legem" Cic. pro Rab. Post c. 6. ex lege Julia de pec. repet. esse contendimus.
4. Quid sit prima Aristotelis *ἐντελέχεια* de anim. II. 1. intelligi nequit.
5. In Sophoclis Trachiniis ejiciendi vv. 31—33.
6. De duplici Trachiniarum recensione dubitari nequit.